9 ἀπλανέες) *ita Basil. Paris. & H. Steph. & vt paucis absoluã. editi lib. quos vidi omnes: quin & Theon ipse. secus Hipparchus: qui tamen huius loci geminam refert lectionem,* Αὐτοὶ δ' ἀπλατέες. *&,* Αὐτοὶ δὲ πλατέες. *posterior Attalo magis probatur: cuius sententiã confutat Hip.*

13 νεόμενοι) διχόμενοι *legendum, vt habent quædam exempla. & ita legisse Theon videtur.*

17 τοι ἔπος ἄς) *male in editis* τεθ' ἕπος.

21 μέγα μείονες) *recte Basilienses. Morelius peruersa sententia,* μεγ' ἀμείνονες. *cuius* ἀλογισία *etiam Stephano imposuit. vide Græcũ Scholiasten & Hipparchum.*

Βορέαο) *al.* Βορέοιο. *sic & Hipp.*

25 ἐπ' αὐτῷ) *semel aut iterum* αὐτᾶ *apud Hipp.*

27 Βορέω γε) *apud illum ipsum* Βορέαο, νότῳ

84 9. νοήσης) *Hipp.* νοήσαις

11 καθ' ὑπέρτατα) *idem* καὶ ὑπέρτερα

15 ὑδροχόε) *al.* ὑδροχόᾳ

19 ἐν δέτε) *Hipp.* δετὸν. *& sequenti versu pro* ἀγαυᾶ, ἑλαφρᾶ

27 ἰσαίε᾽)) *al.* ἰσαίνε᾽)

28 τότε δ᾽) *al.* τῆτ᾽

87.7 γουῶα Φορεῖται) *in Hipp.* γούνατα κάπτω

8 ἀλλά οἱ) *ibid.* ἀλλα μάλ᾽

9 κατ᾽ αὐτὸν) *ibid.* κατ᾽ αὐτὸς

23 ὠκεανὸς τόσον) *al.* ὠκεανοῖο τόσον, *nec male.*

27 ἀποτέμνεται) *in Hipparcho,* ἀποτείνε᾽)

88. 1 τόσ᾽ ἡμῖν) *ibid.* τόσση μὲν

2 περὶ τέμνε᾽)) *Morel.* παρατέμνε᾽)

7 δ᾽ αὐτὸν) M.S. αὐτῷ

12 δώηται) *apud Hipp.* δύηται

18 *pro* δεδοκημένῳ, *habet* δεδοκειμένῳ *Hipp.*

19 *pro singulari pluralem hoc loco habet Hipp.* ἀντίλοισιν ἑκάστῳ

22 ἐν τ᾽ Φέεσι *&c.*) *ibid.* ἦν νε Φ. μ. Γίνοιντ᾽

26 *alij sic distinguunt:* αὐτῷ Νειόθεν ὁπαὶ μεν

91. 8. νυκ]τὶ Φορῆ᾽)) *in Hipp.* νυκ]οφορεῖται.

13 *pro* ἠδὲ *legitur* ἀμυδὶς *apud eundem.*

92 17 ἔσται) *ibid.* ἴσται *eleganter*

19 μόνον) *ibid.* μόνην

20 ἐφεσηῶτ᾽) *Morel.* ἀφεσηῶτ᾽ *non placet.*

21 Δεξιτερὴν) *al.* δεξιτερὰν

95.8 δεῖγμα) M.S. δεῖμα. *quod huic loco magis conuenit, quam illud* δεῖγμα.

19 ἀρνύμενος) *al.* αἰνύμεν &c. *& sequenti* τοῦ πετείλατο

24 ἐρχομένοιο) *Steph.* ἀρχομένοιο *prius probo.*

96.24 τότε) *Morel.* τᾶτε

99. 19 νοτίῳ *lege cum* M.S. νοΐοιο *vt consulas metro & mox eodem auctore,* ἔδρη *pro* ὕδρη.

100.4 δυωδεκάδα μένει) M.S. δυωδεκάδ᾽ ἐμμένει

7 ὠκεανοῖο νέον ἐπ.) *ultima in* νέον *loga, vt ante* μογερὸν ὀΦιοῦχον. *excusat caesura. in Hipparcho tamen* νέον δ᾽ ἐπ.

14 Ἢ κριῷ λήγοντι) *Hunc locum voluit corrigere Attalus hoc modo:*

Ἢ κριῷ ἀνιόντι Φαείνε᾽)· ἢ ἐπὶ ταύρῳ, *vel,*

Ἢ κριῷ λήγουσι Φαείνε᾽)·

huius correctionem reprehendit Hipparchus.

16 σωαρηρὼς *al.* σωαρηγώς.

20 ὅτε) *hic putat legendum doctiss. Vvitekindus noster* ὅπου.

22 τότε μοίρη) *Hipp.* ἐπὶ μ.

23 πίσυρες μὲν, ἄτερ) *idem,* μι νάπαρ

24 *In* M.S.

ἠδ᾽ αὐτῷ μεγάλη ἐπιτέλλεται ἄρκτῳ. *Festus,* Iuge manet (*nempe sinistra manu Arctophylacis*) celsusque super subducitur vrsus.

103.1 πρώτης) M.S. πρώτην

5 θεοί γ᾽ ἄνδ) *al.* θεοὶ ἄνδ.

12 Εἰρὴ) *al.* Εἴρει

104. 6 μέλοι *alij. & pro* τοι (*vt habet* M.S.) πυ.

7 εὑρεῖν) *Morel. & Steph.* ἐρεῖν. *vt in vno* M.S. *& pro* κεχρημένα, κεκριμένα

21 *pro* πυ. M.S. τοι

107.2 ἐφεσαότος) *al.* ἐφεσῶτος

Universidad de Deusto
Biblioteca

16 ἑλίσσῃ) al. ἑλίσσοι

25 al ἄρα π.

26 legendum videtur, inquit VVitekindus, τριτάτη τε τεπειραίη τε. solet enim τε geminari, & metrum id exigit.

108.1 M.S δέχεται ἢ μὲν αὐτίκα

10 τε πύθωνος) Morel. κε πυθ.

19 pro μὲν al. κεν. & sequenti versu, pro περὶ πόλῃ, περιτέλλοι

24 al ὑπείκω᾽ ἠελίοιο.

111.6 εἰσὲ οἱ ἀνιόντος) Εἰ δέ οἱ ἢ ἀνιόντος

112. 28 Η ἢ πυ) al. Εἰ καὶ πυ, al. Εωθ᾽ ὅτε καὶ

115. 3 εἰκυῖα) al ἐοικυῖα

8 Εἰς μὲν πὰρ) Basil. εἰς μὲν βορρέαο

17 Λεπτὸν) Steph. Λεπτὸς

116.6 Ακρον) Steph. & Morel. Ακροι

119. 25 νῆσαι οἰκυροὶ) male divisit Interpres hanc dictionem οἱ κυροὶ, reddiditque anates pullos.

120.7 ἐπαυτόφι) al. divisim ἐπ᾽ αὐτόφι

123. 1. πολύφων) al. πολύφωνα, recte.

8 ἀπλερύοντα) M.S. αὖ πλερύοντα

13 ὀρσινόθεν) al ἀστερόθεν. ut & interpr. Gr.

23 ἠῶ᾽ ἀπίζων) ἠῶα πίζων ex Eustathio legendum videtur, qui Iliad ξ, ait, λέγεται δὲ ἄλλως μὲν τοι κεῖ ὀνοματοποιίαν κῆ ὁ πίνω πίζων ἐστὶ παρὰ τῷ Ἀράτῳ.

27 ἀπιχθαῖ) divisit Morelius ἀπὶ χθαῖ, ut sit ἀπιόντος per tmesin.

124. 5 μαρμαινομένοιο) M.S. μαρμαινομένῳ

10 νιφετῷ) al. νιφετῶ

25 ἄκρας) al. ἄκρης

127.7 χίνυ) Morel. χῖνον

131.13 μονώλυκος) al. μονόλυκος, al. μονόλλυκος.

24. ὠρύξατο) al. ὠρέξατο, id est ἐξέτεινεν.

G. CEPORINI ANNOTATIVNCVLAE IN ARATI phænomena.

48. 12 τετυγμένα) Facta, faciunda: alij euentus, quæ quouis tempore facienda sunt, prædicerēt.

51.11 ὅμιν τότε κυρίζοντα) ὅτι μιν.

52. 12 κείνη πυ κεφαλὴ τῇ νήχεται) Caput Draconis pertingit vsque ad maximum circulum, semper apparentem habitantibus clima Macedoniæ seu Hellesponti. Sub hoc circulo miscentur extremi ortus & occasus. Nā quæ proxime sunt intra hunc circulum occidere, quæ extra semper apparere incipiunt. Veteres astronomi, sicut Proclus, hunc circulum Arcticum vocauere: atque e regione Austri maximum semper occultorum Antarcticum. At neoterici iam istos circulos per Polum Zodiaci circum polum mundi descriptos intelligunt. Quo fit vt isti duo circuli omnibus habitantibus apud iuniores stati maneant, apud veteres secundum climatum diuersitatē varient.

Universidad de Deusto
Biblioteca

52.17. ἐγγόνασι) *In genubus. Hoc ignotum signũ aliis nominibus vocat,* γνὶξ ἥμενον αἰεὶ, γνὶξ ἐπὶ σκελέεσι πέτηλον, κεκμηκὼς εἴδωλον, ἀπευθὲς εἴδωλον.

55.2 λιπόμηνι) *Medio mense, id est, plena luna, cuius luce astra obscurantur. Veteres Græci mensem augmento decrementoque lunæ directe ἄπυtare solebant, sicuti in Hesiodi scholiis ostẽdimus: vnde tempore semestri semper necesse erat, lunæ apparere orbem plenum.*

56.4 ἤδειδεν) *Lego* ἤδειξεν, *pro* ἔδειξεν. *Nunquam enim memini me legisse* ἤδειδεν.

63.10 ἔντοθ' ἀραρυῖαν) *Laconicæ ianuæ comparat, quæ intus binis valuis se claudebat: cuius mẽtio etiam fit apud Homerum.*

68.8 ἀνλιπερῶ *absolute.*

68.14 εὐδιόωντι πτιῷ) *Immotis alis in aere pẽdenti.*

76.26 δινωτὴ κύκλοι περιηγέες εἱλίσσουσι) *Eas stellas alij Coronam australem appellant.*

79.24 βορέω δὲ παρατρέψειἀνέμοιο) ὁ βορέας τῦ βορέω, τῦ βορέεω Ionice, *per synæresin* βορέω: *sicut* τῦ αἰνείεω αἰνείω. *Et subintelligendum more Attico* ὡς.

80.28 μακροὶ δὲ σφέων &c. *Annum Platonis indicat, de quo apud Ciceronẽ in sõnio Scipionis.*

83.4 ἤτοι μὲν τάγε κεῖτ' ἀλίγκια δινωτοῖσι τέτρασι) *Tantũ quatuor sphæræ circulorum mentionem*

tionem facit Aratus duorum tropicorum, Æquinoctialis & Zodiaci. Quippe cum hi potissimũ conferant ad annorũ statuta seruanda quintum autẽ Laẽteum velut supernacaneũ subiũgit.

84.11 τῦ μὲν &c.) *Notandum Aratum & Proclum ad clima quintũ in quo maximus dies quindecim, minima nox nonẽ horarum est, suas sphæras direxisse. Cũ autẽ Tropicus Cancri sicut quilibet alius circulus παράλληλος æquatori in die naturali, id est, xxiiii horis suũ ambitũ cõficiat, necesse est vnãquãq; de octo partibus tribus horis ortũ suũ absoluere. Si. n. xxiiii per octo diuiseris, singulis octonis tria contribuẽtur. ita octo partiũ quinque diei adscriptæ, quindecim horas faciunt: tres vero noctι nouem. Si quidem ter quinque, quindecim producunt, ter tria vero nouem. Eadem ratione Tropicus Capricorni maximam noctem & minimum diem efficit.*

87.11 τοὺς μὲν παρβολάδην) παρβολάδω & παραβλήδω. παραλλήλως æquidistanter.

87.27 ὅσσον δ' ὀφθαλμοῖο βολῆς) *visualis linea a terra, hoc est centro mundi, ad eiusdem circumferentiam ducta, sexies sexangulariter in circumferentia habetur. Id autem commode per circinum, quo circũferentiam scripsisti, eundem inuariatum per eandẽ ducẽdo monstrabis. Deinde singulas portiones in duas æquas secando, habebis* δωδεκατημόριον, *hoc est, duodecim signi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zodiaci, μοίρας, τομὰς, δυοδεκάδας, ὥρα, ζῳδιάρια 12 μείων ἡμάλιος) Minor supra, maior vero sub horizonte. Bootes ingens signũ in septentrione lentius ad occasum tendẽs, quatuor signis Zodiaci, Chelis, Scorpio, Sagittario, & Capricorno cooccidit. Is quoque soli occũbenti condescendens, vltra mediam noctem in occasu moratur: nam quodlibet signum Zodiaci duas horas occasu suo absoluit, tria vero sex. Hic autem cũ Capricorno quarto signo totus demũ occũbit. Vnde noctes in quibus vespere occidere incipit, sero occidere dicũtur. Quin Homerus ὀψὲ δύοντα eundẽ appellat.

103 l. vlt. τὰ γὰρ σημαείδεται ἠδη) Refert Arati commentator, istis temporibus astronomos tabulas publice in vrbibus suspendisse, quib. vsque ad decimum nonum annũ durantibus, quatuor anni partium initia & fines, pluuias & ventos aliaque ad vitã cõducentia monstrabãt. Praterea singulari obseruatione vsos circa Orionẽ & Canẽ.

104. 4 ὅτε ποσειδάωνος ὀρώμενοι) Neptuni stellæ, quæ suo ortu vel occasu tempestatem serenitatemue nuntiant: Iouis, quæ agrorum culturam.

FINIS.

errata quædam obiter obseruata sic corrige.
52. 12. νηχεπῃ 59 18 καρκίνος ἐστι 25. lin. 27. σφῶν 28. ὁρίζοντα 63. 3. ὅσση. 92. 12. distingue διχόωσιν αὐτῶν 72. 25 ἐπιτρέψωσι 123. 1. πλύφωνος

ARATI PHAENOMENA.

M. T. CICERONE INTERPRETE.

AB IOVE *musarum primordia.*

*

Ergo vt oculis assidue videmus, sine vlla mutatione aut varietate,

Cætera labuntur celeri cælestia motu,
Cum caloque simul noctesque diesque feruntur.

*

Extremumque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse Polus. *

Hunc circum Arcti duæ feruntur, nunquam occidentes.

Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
Altera dicitur esse, Helice. *

Cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus,

Quas nostri Septem soliti vocitare triones.

Paribusque stellis similiter distinctis, eundem cæli verticem lustrat parua Cynosura. *

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa, magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim a nocte videtur.
Hæc vero, parua est, sed nautis vsus in hac est:
Nam cursu interiori breui conuertitur orbe.

Et quo sit earum stellarum admirabilior aspectus, *

Universidad de Deusto
Biblioteca

Has inter, velut i rapido enim gurgite flumen,
Torquis Draco serpit subter superaque revoluens
Sese, conficiensque sinus e corpore flexos.

Eius cum totius est præclara species, in primis suspicienda est figura capitis atque ardor oculorum.

Huic non una modo caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore micata,
Et tortibusque oculis dira feruida lumine flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Ostipum caput & teretis cervice reflexum
Obtutum in cauda maioris sigere cernas.

Et reliquum quidem corpus Draconis totis noctibus cernimus. *

Quod caput hic paulum sese subitoque recondit,
Ortus ubi atque obitus partem misceantur in unam.

Id autem caput *

Attingens defessa velut mœrentis imago.
*Vertitur * quam quidem Græci*
Εν γόνασιν vocitant, genibus quod nixa feratur.
Hic illa exsurgit pestis est fulgore corona.

Atque hæc quidem a tergo

* *propter, caput Anguitenentis*
Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graij.
Huic supera duplices humeros affixa videtur
Stella micans tali specie, talique nitore.
Hic pressu duplici palmarum continet Anguem
Eius & ipse manet vinctus corpore toto.
Namque virum medium Serpens sub pectora cingit:
Ille tamen nitens grauiter vestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus pectuque Nepai.

Septen-

Septentriones autem sequitur
Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adiunctum præ se quatit Arctον.
Huic Booti enim
* *Subter præcordia fixa tenetur*
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.
* Cui subiecta fertur
Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.
*
Malebant tenui contenti viuere cultu.
*
Ferreum tum vero proles exorta repente est:
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gestare manu victum domitumque iuuencum.
*
Et natos Geminos imposes sub caput Arcti.
Subiectus medius est Cancer: pedibusque tenetur
Magnus leo tremidam quatiens e corpore flammam.
*
Nauibus assumptis fluctuantia quærere aplustra
*
Auriga
Sub læua geminorum obductus parte feretur,
Aduersum caput huic Hœdce truculenta tuetur.
At Capræ lanium humerum clara obtinet. *
Verum hæc est magno atque illustri prædita signo.
Contra, hœdi exiguum iacunt mortalibus ignem,
Cuius sub pedibus *
Corniger est validis connixus corpore Taurus.
* Eius caput stellis conspersum est frequentibus:
Has Graci stellas Vadas vocitare fuerunt.

* Minorem autem Septentrionem Cepheus
passis palmis a tergo subsequitur:
Namque ipsum ad tergum Cynosura vertitur arcti.
* Hunc antecedit
Obscura specie stellarum Cassiepeia.
*

Hanc autem illustri versatur corpore propter
Andromeda, aufugiens aspectum mesta parentis.
Huic Equus ille tuba quatiens fulgore micanti
Summa contingit caput alto, stellaque iungens
Vna tenet duplices communi lumine formas,
Aternum ex astris cupiens connectere nodum.
*
Exin contortis Aries cum cornibus hæret.
*
E quibus hinc subter possis cognoscere sultum.
Iam cæli mediam partem terit, vt prius illa
Chela, cum pectus quod cernitur Orionis.
Et prope conspicies parvum sub pectore claro
Andromeda signum, Δελτωτὸν dicere Graij
Quod soliti, simili quia forma littera claret.
Huic spatio ductam similis latus extat vtrunque,
At non tertia pars lateris, nam non minor illis,
Sed stellis longe densis præclara relucet.
Inferior paulo est Aries, & flamen ad austri
Inclinatior. Atque etiam vehementius illi
Pisces, quorum alter paulo prolabitur ante,
Et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis.
At quæ horum e caudis duplices velut esse catenæ
Dicuntur; sua diuerse per lumina serpunt,
Atque vna tandem in stella communiter hærent,
Quem veteres soliti cælestem dicere Nodum.

Andro-

Andromedæ læuo ex humero si quæsere perges,
Adpositum poteris supera cognoscere piscem.
E pedibus natum summo Ioue Persea vises,
Quos humeris retinet defixo corpore Perseus,
Qua summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiepeia,
Diuersosque pedes vinctos talaribus aptis,
Puluerulentus vti de terra lapsus repente,
In cælum victor magnum sub culmina portat.
At propter lævum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Has septem vulgo perhibentur more vetusto
Stellæ, cernuntur vero sex vndique parvæ:
At non interisse putari conuenit vnam,
Sed frustra temere a vulgo ratione sine vlla
Septem dicier, vt veteres statuere poetæ,
Æterno cunctas æuo qui nomine dignant:
Alcyone, Meropeque, Celeno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia.
Hæ tenues parvo labentes lumine lucent,
At magnum nomen signi clarumque vocatur,
Propterea quod ad æstatis primordia claret,
Et post hiberni præpandens temporis ortus,
Admonet vt mandent mortales semina terris.
Inde Fides leniter posita & connexa videtur,
Mercurius parvus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus, in alta sede locasse.
Hæc genus ad lævum Nisi delapsa resedit,
Atque inter flexum genus & caput Altis hæsit.
Namque est Ales auis, lato sub tegmine cæli
Quæ volat, & serpens geminis secat æra pennis.
Altera pars huic obscura est & luminis expers,

Altera nec paruis nec claris lucibus ardet.
Sed mediocre iacit quotiens e corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Gestit. iam vero clinata est vngula vehemens
Fortis Equi, propter pensatis corporis alam.
Ipse autem labens geminis Equus ille tenetur
Piscibus. hinc cernix dextra mulcetur AquarI.
Seriusne hæc obitus terræ iussit equinus,
Quam gelidum valido de corpore frigus anhelans
Corpore semifero magno Capricornus in orbe,
Quem cum perpetuo vestiuit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore cursum.
Hoc caue te ponto studeas committere mense:
Nam non longinquum spatium labere diurnum:
Non hiberna cito volutatur curriculo nox:
Humida non sese vestris aurora querelis
Ocyus ostendet, clari prænuncia solis:
At validis aquor pulsabit verubus auster:
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus:
Sed tamen ami tam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
Atque etiam supero nauis pelagoque vagato,
Mense, Sagittipotens solis tum sustinet orbem.
Nam iam, cum minus exiguo lux tempore præsto est,
Hoc signum venientis poterunt prænoscere nauta.
Iam prope præcipiti ante licebit visere nocti,
Vt sese ostendens emergat Scorpius alte.
Posteriore trahens flexum vi corporis Arctum.
Iam supera cernes Arctis caput esse minoris,
Et magis erectum ad summum versarier orbem.
Tum sese Orion toto iam corpore condit

Extrema

Extrema prope nocte, & Cepheus conditur ante
Lumborum tenus a palma depulsus ad undas.
Hic missore vacans, fulgens iacet vna sagitta,
Quam propter nitens penna conuoluitur ales,
Et clinata magis paulo est Aquilonis ad auras.
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis,
Non nimis ingenti cum corpore, sed graue mestis
Ostendit nautis perturbans æquora signum.
Tum magni cursus Capricorni corpora propter
Delphinus iacet, haud nimio lustratus nitore,
Præter quadruplices stellas in fronte locatas,
Quas interuallum binas disterminat vnum:
Cetera pars late tenui cum lumine serpit.
Illa quæ fulgent lucet ex ore coruſco.
Sunt inter partes gelidas aquilone locatæ,
Atque inter spacium & læti vestigia solis.
At pars inferior Delphini fusca videtur
Inter solis iter, simul inter flamina venti,
Viribus erumpit qua summi spiritus Austri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens,
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri.
Quem qui suspicies in cælum nocte serena,
Late dispersum non videris, abdita vero
Cetera sperset cognoscere signa potesse.
Namque pedes subter, vultilo cum lumine claret
Feruidus ille Canis, stellarum luce refulgens.
Hunc tegit obscurus subter præcordia vesper.
Nec toto spirans rabido de corpore flammam,
Æstiferos validis erumpit flatibus ignes:
Tutus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
Hic vbi se pariter cum sole in culmina cæli

Universidad de Deusto
Biblioteca

Extulit, haud patitur foliorum tegmine fraustra
Suspensos animos ab bestia ornata tenere.
Nam quorum stirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens anima vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices fundere terras,
Denudat foliis ramos, & cortice truncos.
Hunc propter, subterque pedes quos diximus ante,
Oriona, tacet tempus Lepus: hic fugit, ictus
Horrificos metuens vestri tremebundus aculi:
Nam Canis infesto sequitur vestigia cursu,
Præcipitantem agitans, oriens iam denique paulum,
Curriculum nunquam defesso corpore sedans.
At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo,
Conuersam præse portans cum lumine puppim:
Non aliæ naues vt in alto ponere proras
Ante solent, vostro Neptunia prata secantes,
Sed conuersa retro cæli semper loca portat,
Sicut cum cœptant tutos construgere portus,
Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,
Aduersamque trahunt optata ad littora puppim:
Sic conuersa vetus super æthera vertitur Argo.
Atque vsque a prora ad cessim sine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara videtur,
Inde gubernaculum dispersa lumine fulgens,
Clari posteriora Canis vestigia condit.
Exin semotam procul in tutoque locatam
Andromedam, tamen explorans fera quærere Pistrix
Pergit, & vsque sitam validas aquilonis ad auras
Cærula vestigat, finita in partibus austri.
Hanc Aries tegit, & squammosi corpore Pisces,
Fluminis illustris tangentem corpore ripas.
Namque etiam Eridanum cœnea in parte locatum

Cæli,

Cæli, finectum magnis cum viribus amnem,
Quem lachrimis mœstæ Phaetontis sæpe sorores
Spargerunt, letum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis sub læua cernere planta
Serpentem poteris: proceraque Vincla videbis
Quæ retinent Pisces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reuerti.
Hic vna stella nectuntur, quam iacit ex se
Pistrix e spina valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Pistricem fusæ sparsæque videntur
Atque gubernaculum stellæ, quas contegit omneis
Formidans aerem morsum Lepus. his neque nomen,
Nec formam veteres certam statuisse videntur.
Nam quæ sideribus claris Natura poliuit,
Et vario pinxit distinguens lumine formas,
Hæc ille astrorum custos ratione notauit,
Signaque signauit cælestia nomine vero:
Has autem quæ sint parvo sub culmine fusæ,
Consimili specie stellas parilique nitore,
Non potuit nobis nota clarare figura.
Exinde, Australem soliti quem dicere Piscem,
Voluitur inferior Capricorno versus ad austrum,
Pistricem obseruans, procul illis piscibus hærens:
At prope conspicies, experteis nominis omnes,
Inter Pistricem, & Piscem quem diximus Austri,
Stellas sub pedibus stratas radiantis Aquarii.
Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui stellarum candore nitescit.
E multis tamen his duo late lumina fulgent.
Vnum sub magni pedibus cernetur Aquarii:
Quod superest, gelido delapsum lumine fontis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spiniferam subter caudam Pistricis adhæsit.
Hæ tenues stellæ perhibentur nomine Aquæ.
Hic aliæ volitant parvo cum lumine claræ,
Atque priora pedum subeunt vestigia magni
Arcitenentis, & obscuræ sine nomine condunt.
Inde Nepa cernes propter fulgentis acumen,
Aram, quam flatu permulcet spiritus austri,
Exiguo superum quæ lumina tempore tranat:
Nam procul Arcturo est adversa parte locata.
Arcturo magnum spacium supera dedit, orbem
Iuppiter hunc parvum inferiori in parte locavit.
Hæc tamen æterno invisens loca curriculo Nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noscere possent,
Commiserans hominum metuendos undique casus.
Nam cum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram sub media cæli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam,
Tum validis fusto demitam viribus austrum.
Quem si prospiciens vitaveris, omnia caute
Armamenta locas, tuto labere per undas:
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringet celsos defixo robore malos:
Vt res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & subitis auris diduxerit Ara.
Sin humeros medio in cælo Centaurus habebit,
Ipseque cærulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans vestiet umbra,
Ad signorum obitum vis est metuenda favoni.
Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
Qua sese clarum collucens Scorpios infert,
Hac subter, partem præportans ipse virilem,

Cedit,

Cedit, equi partes properans contingere Chelis.
Hic dextram porgens, quadrupes qua vasta tenetur,
Quam nemo certo donavit nomine Graium,
Tendit, & illustrem truculentus cedit ad Aram.
Hic sese infernis de partibus erigit Hydra,
Præcipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
Connexoque sinu subiens infima Leonis,
Centaurum lævi contingit lubrica cauda.
In medioque sinu fulgens Cratera relucet:
Extremum nitens plumato corpore Corvus,
Rostro tundit. Et hic, Geminis est ille sub ipsis
Ante canem, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc sunt quæ vigilans nocturno tempore signa,
Leniter eo cernes cælum lustrantia cursu.
Nam quæ per bis sex Signorum labier orbes
Quinque solent stellæ, simili ratione notari
Non possunt: quia quæ faciunt vestigia cursu,
Non eodem semper spacio portata feruntur.
Sic malunt errare vagæ per nubila cæli,
Atque suos vario motu metirier orbes.
Hæc facium magnos longinqui temporis annos,
Cum redeunt ad idem cæli sub tegmine signum.
Quorum ego nunc nequeo totos evolvere cursus:
Verum hæc quæ semper certo volvuntur in orbe
Fixa simul magnos edam * gentibus orbes.
Quattuor æterno lustrantes lumine mundum,
Orbes stelligeri portantes signa feruntur,
Amplexi terra cæli sub tegmine vasti,
Et quibus annorum volvantur lumina noscet,
Quæ densis distincta licebit cernere signis:
Tum multos orbes magno cum lumine latos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vinctos inter se, & nodis cælestibus aptos:
Atque pari spacio duo cernes esse duobus.
Nam si nocturno cognoscens tempore cælum,
Cum neque caligans detersit sidera nubes,
Nec pleno stellas superauit lumine Luna,
Vidisti magnum candentem serpere Circum,
Lacteus hic numio fulgens candore notatur.
Hic non perpetuum detexens conficit orbem,
Sed spatio multum superis præstare duobus
Dicitur, & late cæli lustrare cauernas.
Quorum alter tangens aquilonis vertitur auras,
Ora petens Geminorum: illustratum genus ardens
In sese retinens Auriga portat vtrunque.
Hunc sura læua Perseus humeroque sinistro
Tangit. ad Andromedam hic dextra de parte tenetur,
Imponitque pedes duplices Equus, & simul ales
Ponit Anis caput, & clinato corpore tergum:
Anguitenens humeris committitur: illa recedens
Austrum consequitur demitans corpore Virgo.
At vero totum spacium conuestit & orbis
Magnus Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo consistens conuertit curriculum Sol
Æstiuus, medio distinguens corpore cursus.
Hic totus medius circo distinguitur ipso:
Pectoribus validis atque aluo possidet orbem.

*

Hunc octo vi partes diuisum noscere circum,
Si potes, inuentes supero conuertier orbe
Quinque pari spacio partes treis esse relictas,
Tempore nocturno quas vis inferna frequentet.
Alter ab infernis cancro connectitur austris.
Distribuens medium subter secat hic Capricornum.

Ar-

Atque pedes gelidum riuum fundentis Aquari,
Cæruleaque feram caudam Pistricis, & illum
Fulgentem Leporem inde pedes Canis, & simul amplam
Argolicam retinet crebro cum lumine Nauem:
Tergaque Centauri, atque Nepas portat aciemen:
Inde sagittarii desixum possidet arcum.
Hunc a clarisonis auris aquilonis ad austrum,
Condens postremum tangit rota feruida Solis:
Exinde in superas brumali tempore flexu
Se recipit sedes. huic orbi quinque tributa
Nocturna partes, supera tres luce dicantur.
Hosce inter, mediam in partem retinere videtur
Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis,
In quo autumnali atque iterum sol lumine verno
Exæquat spacium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries sublucet corpore toto,
Atque genu flexo Taurus connititur ingens:
Orion claro contingens pectore fertur,
Hydra tenet flexu Craterem, Corous adhæret,
Et pauca Chelis stella. simul Anguitenentis
Sunt genua, & summi Ionis ales nuncius instat:
Propter Equus capite & cerucum lumine tangit.
Hosce aquo spacio deinnctos sustinet axis,
Per medios summo cæli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine Circus,
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et simul a medio media de parte secatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Vt nemo cui sancta manu doctissima Pallas
Solertem ipsa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare cate contortos possiet Orbes,
Quam sunt in cælo diuino lumine flexi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine transuersi retinentes sydera fulci.
Quatuor hi motu cuncti voluuntur eodem:
Sed tantum supera terras semper tenet ille
Curriculum, oblique inflexus tribus Orbibus vnus.
Quanto est deiusus Cancer spacio a Capricorno,
Ac subter terras spacium par esse necesse est.
Et quantos radios iacimus de lumine nostro,
Queis luna conuexum cæli tangimus orbem,
Sex tanta poterunt sub eum succedere partes,
Bina pari spacio cælestia signa tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, nostrique Latini
Orbem Signiferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa.
Æstifer est pandens ferventia sidera Cancer:
Hunc subter fulgens cedit vis torua Leonis,
Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo.
Exin proiecta claro cum lumine Chele,
Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Post hunc ore fero Capricornus vadere pergit.
Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin squammiferi serpentes ludere Pisces:
Queis comes est Aries obscuro lumine labens,
Inflexoque genu proiecto corpore Taurus,
Et Geminis clarum iactantes lucibus ignem.
Hæc Sol æterno conuestit lumine lustrans,
Annua conficiens vertentia tempora cursu.
Hic quantum terris conuexus pellitur orbis,
Tantundem ille patens supera mortalibus exstat.
Sex omni semper cedunt labentia nocte:
Tot calum iussis fugientia signa reuisunt.

Hoc

Hoc spacium tranans cæcis nox conficit vmbris,
Quod supera terras prima de nocte cubitum est,
Signifer ex orbe & signorum ordine fultum.
Quod si Solis aues certos cognoscere cursus,
Ortus Signorum nocturno tempore vises:
Nam semper Signum exoriens Titan trahit vnum.
Sin autem officiens signis mons obstiterit altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes,
Certas ipse notas cæli de tegmine sumes,
Ortus atque obitus omneis cognoscere possis.
Quæ simul existant cernes, quæ tempore eodem
Præcipitent obitum noctis no tempore nascer.
Iam simul ut supero se toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona.
Et loca conuisit cærula tenus infera Piscis.
Dimidiam retinens stellis distincta Corona
Partem etiam supera atque alia de parte repulsa est:
Quam tamen insequitur Piscis, nec totus ad vmbras
Tractus, sed supero contectus corpore cedit.
Atq; humeros vsque a genibus Cancro inque recondit
Anguitenens, valida magnum a cervice sub Anguem.
Iam vero Arctophylax non æqua parte secatur:
Nam brevior cæra cæli de parte videtur,
Amplior infernas depulsus possidet vmbras.
Quatuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi, tum serius ille,
Cum supera sese satiauit luce, recedit.
Post mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obscura tenens conuestit sidera tellus:
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion humeris & lato pectore fulgens,
Et dextra tenens non cassum lumina ensem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed cum de terris vis est patefacta Leonis,
Omnia quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata, simul vis maior Aeti
Pellitur: ac flexo considens corpore Nesus
Iam supero ferme depulsus lumine, cedit:
Sed lauum genus atque illustrem linquit in altum
Plantam. tum contra exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui sese feruidus infert
Ante canem: inde Canis vestigia prima videntur.

Non pauca e cælo depellens signa repente
Exoritur candens illustria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia: mergitur vnda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta:
Atque Auis ad summam caudam, primasque recedit
Primas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hinc Equus a capite & longa ceruice latescit.
Longius exoritur iam claro corpore Serpens,
Craterague tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis ostendit iam posteriores,
Ex post ipse trahit claro cum lumine puppim:
Insequitur labens per cæli numina Nauis:
Hæc medium ostendit radiato stipite malum:
Et iamiam toto processit corpore Virgo.

At cum procedunt obscuro corpore Chelæ,
Existit pariter larga cum luce Bootes,
Cuius in aduersum est Arcturus corpore fixus.
Totaque iam supera fulgens prolabitur Argo,
Hydraque, quod late cælo dispersa tenetur,
Nondum tota latet, non caudam contegit vmbra.
Iam dextrum genus, & decoratam lumine suram
Erigit ille vagans vulgato nomine Nisus,
Quem nocte extinctum atque exortum vidimus vna
Per-

Persæpe, vt paruum tranans geminauerit orbem.
Hic genua & suram cum Chelis erigit alte:
Ipse autem præceps obscura nocte tenetur
Dum Nepa & Arcitenens inuisant lumina cæli.
Nam secum medium pandet Nepa, tollere vero
In cælum totum exoriens conabitur Arcus.
Hic tribus elatus cum signis corpore toto
Lucet: at exoritur media de parte Corona,
Caudaque Centauri extremo candore refulget.
Hic se iam totum cacas Equus abdit in vmbras,
Quem rutila fulgens pluma præteruolat Ales:
Occidit Andromedæ clarum caput, & fera Pistrix
Labitur horribiles epulas funesta requirens.
Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas.
Illa vsque ad spinam mergens se cærula condit:
At Cepheus caput atque humeros palmasque reclinat.
Cum vero vis est vehemens exorta Nepai,
Late fusa volat. per terras summa vagatur,
Vt quondam Orion manibus violasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet, Ægao defixa in gurgite Echineis,
Brachia cui viridi conuestit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat,
Oenopionis auens epulas cœnare nitentes:
At vero pedibus subito perculsa Diane
Insula discessit, disiectaque saxa reuellens
Perculit, & cæcas lustrauit luce lacunas:
Equibus ingenti existit cum corpore præ se
Scorpios infestus præportans flebile acumen.
Hic valido cupide venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille graui moriens constrauit corpore terram.

Quare cum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum vero fugit Andromeda, & Neptunia Pistrix
Tota latet, cedit conuerso corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput & superas potis est demergere partes,
Infra lumborum nunquam conuestiet umbra:
Nam retinent Arcti lustrantes lumine suras.
Labitur illa simul gnatam lacrymosa requirens
Cassiepeia, neque ex alto depulsa decore
Fertur: nam verso contingens vertice primum
Terras, post humeros euersa sede refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus vt perhibent, ausa est contendere firma.
Hac obit inclinata: at pars exorta Coronæ est
Altera, cum caudaque omnis iam panditur Hydra.
At caput & totum sese Centaurus opacis
Eripit e tenebris, linquens vestigia parua
Antepedum contecta: simul cum lumina pandit
Ipse feram dextra retinet. Prolabitur inde
Anguitenens capite & manibus: profert simul Anguis
Iam caput & summum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur conuerso corpore Nisus,
Aluum, crura, humeros, simul & præcordia lustrans,
Et dextra radios læto cum lumine iactans.
Inde Sagittipotens superas cum visere luces
Institit, emergit Nisi caput: & simul effert
Sese clara Fides, & premit corpore Cepheus.
Feruidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbra.
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapsu.
Inde obiens Capricornus ab alto, lumine pellit

Auri-

Aurigam, instantemque Capram, paruos simul Hœdos,
Et magnam, antiquo depellit nomine Nauem,
Cretæ dextrumque pedem linquens, obit infera Perseus
In loca, tum cedens a puppi linquitur Argo.
Obruitur Procyon, emergunt Alites vna,
Et volucris terris existit clara Sagitta.

* PROGNOSTICA.

* *Vt cum*

Luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radij caca caligine tecti.

*

Ast autem tenui quæ candent lumine Phatnæ

*

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, cum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana salis niueo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere voces:
Aut densus stridor cum celso e vertice montis
Ortus adangescit scopulorum sæpe repulsu.
Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

*

Vos quoque signa videtis aquæ dulcis alumnæ
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes & stagna cietis.
Quis est qui ranunculos hoc videre suspicari
possit?
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas,
Cum primum gelidos roros aurora remittit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fuscaque nonnunquam cursans per littora cornix,
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.
Mollipedesque boues spectantes lumina cæli
Naribus humiferum duxere ex aëre succum.

*

Iam vero semper viridis semperque grauata,
Lentiscus triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.
Ne hoc quidem quæro, cur hæc arbor vna ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet.

CÆTERA DESIDERANTVR.

ARATI

ARATI PHÆNOMENA,
RVFO FESTO AVIENO
PARAPHRASTE.

CARMINIS inceptor mihi Iuppiter: auspice terras
Linquo Ioue, excelsam reserat dux Iuppiter æthram:
Imus in astra, Iouis monitu: Iouis omine cælum,
Et Iouis imperio mortalibus æthera pando.
Hic statio, hic sedes primi patris, iste paterni
Principium motus, vis fulminis iste coruſci,
Vita elementorum, mundi calor, ætheris ignis,
Astrorumque vigor, perpes substantia lucis,
Et numerus celsi modulaminis: hic tener aer,
Materiaque grauis concretio, succus ab alto
Corporibus cælo, cunctarum alimonia rerum,
Flos & flamma animæ, qui discurrente meatu,
Mentis primigenæ penetralia dura resoluens,
Impleuit largo venas operatus amore,
Ordinis vt propriy fœdus daret iste, calorem:
Quo digesta capax solidaret semina mundus,
Inseruit rite hunc primum, medium, atque secundum.
Vox secreta canit sibi, nam permixtus vtrunque,
Et fultus sese geminum latus, vnus & idem est
Auctor agendorum, propriyque patrator amoris,
Et mundi vere pastor sacer, hic chaos altum
Lumine perrumpit: tenebrarum hic vincula primus
Soluit, & ipse parens rerum fluitantia fixit:
Hic dispersa locis statuit primordia iustis:
Hic digestorum speciem dedit, iste colorem
Imposuit rebus, sexuque immixtus vtraque,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque aui pariter gemini, simul omnia lustrans
Sufficit alterno res semine: rerum opifex hic,
Hic altor rerum, rex mundi, celsa potestas
Ætheris atque Erebi, pigra inclinatio nodi,
Insociabilium discretio iusta deorum,
Cuius & extremum tellus opus, ignea cuius
Lumina sint late. sol, & sator: ille diei
Tendat vt infusi rutilum iubar, altera noctis
Vt face flammanti tenebrosos rumpat amictus:
Nec desit genitis pater vllo in tempore rebus.
Istius ille anni pulcher chorus, alta vt hebescat
Terra gelu, ver vt blandis adrideat aruis,
Puluerulenta sitis tellurem vt torreat æstas,
Et grauis autumni redeat fœtura parentis:
Hoc duce per tumidi ferimur freta quanta, isto
Præceptore solum grauibus versamus aratris:
Iste modum statuit signis, hic rebus honorem
Infundit, tenebris hic interlabitur æthra:
Viscera, & æternos animat genitabilis artus.
Denique ne longum marcentia corda iacerent,
Mundanique ortus mens immemor, omnia sensim
Vilia conciperet, neque se subduceret vnquam,
Fontis in æterni primordia, quo velut amnis,
Quem festina cuis vrget Natura fluentis,
Lapsu continuo rutura in corpora nostra
Prorumpunt animæ, seriemque per æthera nectunt.
Hic primum Cnidij radium senis intulit astris,
Mortalemque loqui docuit connexa deorum,
Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes,
Autumni reditu: cur subgelido Capricorno
Bruma pruinosi iuga tristia solueret anni:
Cur spacium lucis, madidæ cur tempora noctis

Libra

Libra celerque Aries demerso pondere Olympi
Æquarent, qua parte Polus sublimior alto
Cardine cæruleas Thetidis non tangeret vndas:
Quis Polus vmbrifero lateat decliuis in axe,
Et vaga pallanti cur signa errore ferantur:
Quæ rursum ingenio numerisque Solensibus idem
Iuppiter efferri melius dedit incola tauri,
Musa vt Cecropios raperetur & Aonas agros.
Me quoque nunc similis stimulat furor edere versu
Tempora, cum duris versare ligonibus arua
Conueniat, cum veliuolo dare carbasa ponto,
Et cum viticomo crinem tondere Lyæo.
O mihi nota adyti iam numina Parnassei,
O per multa operum mea semper cura Camœnæ,
Iam placet in superum visus sustollere cælum,
Atque oculis reserare viam per sidera: maior,
Maior agit mentem solito deus, ampla patescit
Cirrha mihi, & totis se Helicon inspirat ab antris.

ARCTOS.

OMNIA quæ flammis pingunt radiantibus æthram,
Nox & agit, verso cœu fixa trahuntur Olympo:
At non cuncta tamen Signorum in lege putanda:
Nam numeris & honore carens micat omnibus ignis,
Et rutilo cunctis flagrat coma flammea crine:
Sed quia non certa formarum in luce notantur
Omnia, sideribus cassum sit cætera volgus.
Mobilis en etiam mundi se machina versat,
Ponderis & propriy trahit inclinatio cælum:
Sed non axis item curui vertigine fertur
Ætheriæ, vt stilus instabili conuoluitur orbi,
Luce manente tenuque procul sacra viscera cæli

Perforat, & mediæ molem terræ tenet: illum
Non prolixa dies, non incumbentis Olympi
Cursus agit, motatue loco labor, vt semel hærens
Constitit, & ferrè se circum cuncta remisit.
Nec minus extremo dispar polus: Oceano pars
Sublime erigitur, subit altera mersa sub vndas
Pars Erebum, & nigri iacet hæc vt conscia Ditis:
Hic notus, horriferis aquilonibus illa rigescunt.
Hæc teres in gemina stridit vertigine cardo.
Alter in obtutum facilis latet, alter & alto
Deprimitur barathro. Sed qua sublimior axis
Tethyos vndosa linquit cetosa fluenta,
Contemplare sacras vt mundus subiit Arctos.
Sic astrum dici Cnidius dedit, Ausone easdem
Voce feras Vrsasque & Plaustra vocare solemus:
Fabula nanque Vrsas, species dat Plaustra videri.
Has pater omnipotens nemorosi in valle Lycei
Adsuetas duris quondam venatibus, athræ
Intulit, & rapto genitricis flore sacrauit:
Vel ceu fama dehinc docet altera, Creta vbi fluctu
Tunditur insanis late circumsona cauris,
Iuppiter has idem rerum memor indulturum,
Et custoditæ refrens pia dona salutis,
Cum puer agrestes inter Curetas, & inter
Dictææ lonesum latuit crepitacula rupis,
Scandere flammigerum victor permisit Olympum,
Nescia signa sali, nocturnique insciа casus,
Hospita & insanis aquilonibus: haud tamen ollis
Ora, vel aduerso sunt obuia pectora motu:
Versa Lycaonis sed suspectatur in vrsis
Forma super: pariterque polo vestigia librant,
In spinam & flammis ardentia dorsa iacentes.

Sic

Sic Iouis altrices teretem prope cardinis axem,
In caput, inque humeros Helice Cynosuraque versa,
Præscia venturis dant semper signa procellis.
Nanque Helice Graios, Tyrios Cynosura per altum
Parua regit: non vlla facem succenderit vnquam
Stella prior, neque flammigeros edixerit ortus
Ante alia, immerso cum iam Titanius orbe
Imbuit & tremulo Tartesia terga rubore,
Cressia quam flammans inter primordia noctis
Maior agat, vultusque sacros ostendat Olympo.
Illa licet paruo iaceat temone per æthram,
Verior, insidum tamen est currentibus æquor.
Cardine nam toto conuertitur. haud mora, longos
Pegra tenet gyros, neque ceu mollita parumper
Flectitur, aut tardo cohibet cunctamina lapsu,
Denique Sidonis dux est Cynosura carinis:
Reliqua vndoso cursus sulcatur in æstu.
Inter vtranque dehinc præclari nominis Arctos
Ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu,
Squameus agmen agens Draco voluitur, atq; obit ambas
Spirarum curuis anfractibus: hunc quoque, vt artus
Longius effusum, spacioſa volumina tendunt.
Compta Lycaonis meludum Plaustra choreis:
Qua caput est Helices, fundunt sese vltima monstri
Agmina, & hac cæli vix cauda in parte quieſcit:
Altera qua spiræ sinus est, sublime reponit
Verticis, & curuo ceu circumcluſa Dracone,
In dorsum alterius dorso iacet Anguis ab ore
Vertitur, ac longe postremam lapſus in Arctos,
Rursum maioris reperit confinia signi.
Nec quæ stella caput flammarum insignit honore,
Sola micat, solaue vrbent incendia cristæ:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed setosa duplex adolet duo tempora fulgor,
Et duo sub geminis oculi fulgoribus ardent.
Vnicus ignis item mento æstuat, ipsaque forma
Verticis in nutum veluti curuata parumper,
Qua per dimensos demittitur ordo meatus,
Flectitur, atque Helices caudam spectare videtur.
Cuius in extremum spacio propiore per æthram,
Sibila protenti succedunt ora Draconis.
Quin super illa etiam summa confinia cauda
Stella subit, dextri qua temporis igne coruscat,
Æmula vicinis accendit lumina flammis:
At declive caput vertexque obliquior astris,
Hac in parte sacri procumbere cernitur axis:
Qua pater Oceanus rutili reparatus Eoi,
Occasus ortusque solo moderante coercet,
Et gemina alterna miscet diuortia meta.

EN GONASIN.

Inde pruinosos lumen abusque Dracone,
In conuexa feras, oculosque in proxima mundi
Declines, qua parte globo tumet altior ortus,
Illa laboranti similis succedet imago:
Protinus expertem quam quondam dixit Aratus
Nominis, & cuius latuit quoque causa laboris:
Panyasi sed nota tamen, ceu longior ætas
Eruit excussis arcana exordia rebus.
Nam dura immodici memorat sub lege tyranni,
Amphitryoniaden primæuo in flore iuuenta.
Qua cedunt medij longe secreta diei,
Hesperidum venisse locos, atque aurea mala,
Insciaque lenti semper custodia somni
Seruabat, carpsisse manu: postquam ille nouerca

Insaturatæ odijs serpens victoris abitu,
Spirarumque sinus, & fortia vincula laxans,
Occubuit, sic membra genu subnixa sinistro,
Sustentasse ferunt, sic insedisse labore
Denictum fama est: ac tum Tirynthius, Æthra
Inclytus & solio fultus sublime paterno est.
Iuppiter hanc speciem, miseratus acerba laborum,
Reddidit, & talem cerni permisit Olympo.
En manus ipsa Dei violenta in verbera pendens
Erigitur, dextræque de hinc impressio plantæ
Tempora deculcat maculosi prona Draconis.

CORONA.

Poplite succidui qua sideris ampla petescunt
Terga, dehinc mersumque iacet sublime humerorum,
Aspice ceu rutilis vibret lux Gnosia flammis,
Hæc quondam Bacchi monumentum fulget amoris:
Hæc Ariadnæi capitis testatur honorem.
Trina ter illustrant hanc lumina, parsque Coronæ
Serpentem vicina subit, qua sibila in Arcton
Ora Draco inclinans stridet stabris aquilonis:
Post tergum Nixi pars volvitur, ac velut hærens
Rursum defessi referatur nuncia signi.

OPHIVCHVS.

Istius extremo sub vertice, vertice quippe
Sideris Innixi, clarum noscres Ophiuchum.
Triceps sidus stat nominis, & cui pingui
Thure Epidaurea fumant altaria sedis.
In stygia decus sit Parcarum ab origine fissis
Mersérat Hippolytum sors vltima: iamque per imas
Cocyti tenebras & stagna nigrantia Ditis,
Portitor ille Charon Thesida secta vehebat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic immaturi sed enim miseratus acerbum
Leti supplicium, Neptunique asperà iussa,
Algentes artus Erebo procul intimo ab vsque
Suscitat, atque animæ rursum tepefacta calore
Viscera, mundanas reuos at medicator in oras.
Non tulit omnipotens ortu cuiquam generato
Deucalioneo, fas esse nouissima fata
Vincere, & incassum decurrere pensa sororum:
Moxque trisulcæ polo iaculatus fulmina celso,
Et super aëria vibrans incendia flamma,
Morte repertorem medicinæ audacis in vmbras
Deiecit: ac gnato reparans solatia Phœbo,
Asperaque extincti miseratus fata nepotis,
Surgere nocturno iubet inter sidera motu.

Hic ergo insignes ardens venas Ophiuchus,
Hic rigidos artus formæ Anguitenentis honore
Arduus, hic tantos humeris vibrantibus ignes
Enomit, vt pleno cum Luna nitescit in orbe,
Mensruaque ingenti iam tempora dinidit ortu,
Nequaquam lentis obscurior ex humeris lux
Marceat: at manibus non compar flamma rubescit.
Nam suffusa leui resplendent vltima luce:
Sed cerni sient prompta tamen: postremaque parco
Igne micant. Ille angue manum consertus vtranque
Erigitur, serpensque deinde elabitur ambas
Flexilis, & medium cingit spiris Ophiuchum:
Quem super hærentem plantarum male duarum
Scorpios in geminas effusis viscera parteis,
Afflictisque oculos, manicatosque pectora pressus,
Sustinet. attiguas euoluitur Anguis in auras,
Agmine non æquo neque tanta volumina compar.
Nam qua dextra manus sinuoso affigitur Angui,

Parcius ab domino terga explicat, altera porro
Plurimus, ac multo per læuum pondere lapsus
Funditur: & rutilo qua lux sedet ignea mento,
Vsque Ariadnæa sese victrix corona
Lubricus inclinat, post spreta brachia quondam
Formidata truci sus pexeris Orioni:
Hæc concessa etenim curuis mercatio velis.
Huc falcata Hyadis repserunt cornua monstri,
Siderea nimium facis indiga: nanque hebes ollis
Ignis & obtuso mœrcent incendia crine.

BOOTES.

CALLISTO rutilat stellis, quibus vtque ferinam
Prona sit effigiem, quo cardine torqueat axem,
Semper in occiduis attollens lampada flammis
Arctophylax, siue, vt veteres cecinere, Bootes,
Famosa Arcadiæ testans commenta tyranni,
Et licet instanti similis, similisque minanti
Terga Helices iuxta premat arduus, haud tamen vnquam
In pictura a plaustrum procurrere matris
Fas datur, antiqui quoniam contagio in illo
Criminis, & veterum prohibetur culpa malorum.
Nec minus in membris lux olim maxima vibrat
Omnibus, ardet apex capiti, micat ignea late
Dextera flammam, humeri flammam monet instar
Inter vtrunque fimur, qua se confinia lucis
Diducunt pedibus, maior qua luminis aurax
Verberat, & rutilo fidus magis æstuat astro.
Nam locus Arctoro sacer adscribitur illinc
Aurea qua summos adstringunt cingula amictus,
Ebria flammanti consurgit stella rubore.

VIRGO.

QVA protenduntur vestigia summa Bootis,
Quaque per immensum circumflagrantibus astris,
Circulus obliquo late iacet Asriger orbe,
Contemplare sacros subiectæ Virginis artus.
Quam te quã memorem, siue est genitor tibi summus
Iuppiter ex Themide in terras demissa parente:
Seu patrius Astræi clarum es genus, aurea cuius
Sidera sunt proles, & qui pro munere morum
Inculpabilium nomen dedit omnibus astris:
Anne Peluſiaci magistri dea littoris Isis,
Digna Poli consors, & cura latrantis Anubis:
Seu tu diua Ceres, sic nam tibi flagrat arista,
Et ceu Syriaco torretur spica calore:
Prorentia mauult er quã pernicibus alis,
Nec sat ce ta gradiem, viduataque vertice summo
Flaxipile vestis vestigia, lubricum vt annum
Sors agat, & subitus obrepat mobile fatum.
Temporibus, precor in terras procul æthere ab alto
Helle oculos, placidamque meis venerabilis oro
Pande sacris aurem. Tu cum sincera priorum
Vita hominum nullis ageret sub legibus æuum,
Aureaque innocuos seruarent secula mores
Sponte sua, nec criminibus via prompta pateret,
Inter confisos populorum libera cœtus
Versabare liberis, nullique obnoxia culpæ
Corda inhibens media, casto res more tenebas:
Nullas tellurî limes datus, indice nullo
Culta secabantur, neque iam discretio campum
Metiri in dominos monstrauerat: omnia rerum
Vsurpantis erant, promiscua thura per agros
Præstiterant cunctis communia cuncta videri.

Denique cum placidas crebro Dea viseret vrbes,
Tectaque iusta virûm passim succederet illa,
Feruentis late pelagi natura, salumque
Fluctibus instabile, & glauci vada turgida ponti,
Qua senior cano nutrit sub gurgite Nereus
Delphinos virides, & physeteras anhelos,
Ignorata suo secluſaque fine iacebant.
Nulla fides vndis, tumido commercia fluctu
Nulla petebantur, neque longis nauita terris
Insinuare ratem ius fecerat, exul vt oris
Omnibus externas veheret per inhospita gazas
Æquora, & insano penderet sæpe profundo
Omnia: sed cunctis nasci dabat aurea terris
Iustitia, & nullo discreuerat aere regna.
At postquam argento deformis viluit ætas
Rigius in terras os inclinabat honestum.
Iam Dea, vix summos adlabens denique montes,
Cum cedente die Phœbus sub nocte propinqua
Occiduus pronos vigeret in æquora curſus,
Vsurpandam oculis se dabat ad currentum:
Non vt sessa virûm repararet gaudia vultu,
Sed crepula vt late vomeret conuicia voce.
Parcite vile genus, lacrymis ait obortis:
Causa querelarum vestrum est scelus, aurea quondam
Indice me vestri vixerunt secla parentes.
Degener in vobis animus, solertia vobis
Pernigh, arte noua vitam traducere mos est:
Omne æuum studiis excudiris: hinc quoque rursum,
Proh pudor atque dolor, nascetur vilior ætas.
Et lacerata genas ibit Bellona per vrbes
Saucia, vt insidias agitent certamina mentes.
Hæc vbi per mastiera uco congesserat ære,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alite procurſu ſeſe in connexa ferebat.
Protinus, atque oculos ſigiens exoſa ſequentum
Linquebat cœtus hominum. ruit hæc quoque rurſum
Viuendi ſeries, ac ſucceſſere pudendo
Aurea ſecla habitu: fraus ilicet, & furor ardens,
Atque cruentus amor chalybis, ſegnisque libido,
Et maleſuada lucri rabies ſubit omnia, terror
Degener, ac mœſta ſucies formidinis implet:
Secreti immodicus vada gurgitis vltima verſat
Tiphys: Agenoreo color hinc mentirier oſtro
Incipit, Aſſyriumque bibunt noua vellera ſuccum,
Ebria vt extremo ſplendeſcat lana veneno,
Sic iuſta in populos mox Virginis inculpatæ
Exarſere odia, & cælum pernicibus intrat
Dina alis, ſpaciumque ſibi ſubiecta per auras,
Vnde procul terras ſumma vix cerneret æthra,
Propter anhela libens late capit aſtra Bootis.
IGTIVS extremis humerorum partibus vrget
Stella facem, qualique rubent incendia flamma,
Quæ ſubiecta procul caudam maioris ad Vrſæ
Vertice brumalis circumuoluuntur Olympi:
Talis vtrique modo ſimul & fulgore micat lux
Plurima: quippe procul clare fixa ardet in Arcton.
Nec contemplandi labor anxius, omnia primis
Obuia ceu vibrant obtutibus, vnus ob ora
Quæ ſunt prima fere veſtigia, præminet ignis:
Altera qua pedibus regio eſt clunalibus, ardet
Stella itidem, genibusque dehinc ſe tertia promit,
Æmula qua rutilæ flagrant confinia caudæ.
Non tamen his ſpecies, non ſunt cognomina certa,
Sed permixta ſimul vulgi vice conuoluuntur.

GEMI-

GEMINI.

ILLA quidem ſupero conſerta relabitur axe,
Piſcia piſcoſi ſemper ſalis, ipſius autem
Subiectos capiti Gemmos tibi cernere fas eſt,
Spartanam Geminos ſobolem, prolemque tonantis
Egregiam, & proprio poſt reddita numina cælo.
Nam Lacedæmonios Mars cum caluiſſet Aphidnis,
Caſtora Cecropij tulit inclementia belli:
At frater lucemque & fata ſuperſtitis eius
Exoſus, ſortem lacrymis efflagitat æquam:
Protinus alternæ germanos tempore vitæ
Iuppiter attollit, cæliqueincelſa receptans
Æterna flagrare facis iubet ignibus ambo.

CANCER.

ALVO Helices Cancer ſubuoluitur: aſtra, Cancro
Iuno noverca leuis ſemper proderet iras,
Præſtitit. hic etenim Lernæi gurgitis Hydram
Vreret Alcides cum flammiger auſus in ipſum
Repere victorem, qua duro concaua dorſo
Tegmina curuantur, geminus micat ardor in auras:
Hos dixere Aſinos, ortos Theſprotide terra,
Et ſidus Lenæ tuum diſcernunt aer
Craſſior. hos itidem qualis præſepibus eſſe
Forma ſolet, diſpar Chelarum flamma coruſcat.
Nunquetribus ſtellis adoletur dextera Cancro:
Lena duas pigro ſuccendit fomite flammas.
Qua poſtrema pedum rutilant veſtigia in Arcto.
Maxima flammigeri mundus trahit ora Leonis.
Membra dehinc longi qua ſeſe ſemita cali
Plurima protendit, torrentur fomite acuto
Singula, & aſſiduis ardet Leo viſcera flammis.
Hic Hyperionij flagrat via ſolis, & iſto

Universidad de Deusto
Biblioteca

Se duce cærulei referunt momenta caloris.
Tunc succisa Ceres statim cum mergite culmi
Construitur, flauos tondentur semina crines
Omnia, & aduectas late coquit area messes.
Tunc & Threicij repetunt animosa aquilones
Flabra polo, tunc Oceanum stata flamma cæli
Propellunt pelagus: longis hoc tempore in annis
Ocia sunt remis: pontus vehit ipse carinas.

AVRIGA.

AVRIGATOREM par sit quoque cura videre:
Nanque tuas aures implebit fabula Solers
Cretæi pecoris: hæc lac memoratur alumno
Infudisse Ioui Capra, nutrix dicta tonantis.
Stelligero subuecta polo est: ille impiger autem
Pulcher Erichthonius, currus & quattuor olim
Iunxit equos, pronus qui non procul in Geminorum
Læua iacet, fusoque super se corpore tendit
Plurimus, atque Helices caput inclinatur ab ore.
Ille quidem in spacium membra explicat: at Capra læuo
Fixa humero clare sustollitur: ipsius autem
Fine manus paruas Hœdorum suspice flammas.
Qui postquam Oceano sese expediere sonoro,
Sæua procellosis immittunt flabra fluentis,
Vt spumosa truci pulsentur littora fluctu,
Et vaga cæruleas inuoluant æquora puppes.

TAVRVS.

NEC minus Aurigæ qua sunt vestigia curui,
Cornigeri late tenduntur pectora Tauri.
Illic setosam pecoris perquirere frontem
Esto memor: flexo iacet illic crure, minaces
In terram figens oculos: tum cætera signa
Flammarum similem procul inter sidera formam

Ostentare

Ostentare valent: gemino sic cornua ductu
Erigit ætherij rigor ignis & ignis vtrinque.
Sic camuris ardet protractibus, haud tibi signis
Perquirenda aliis pecoris frons æqua resurget:
Oceano proprio Taurum deprenderis ora.
Cornua sic vera sub imagine curua dehiscunt:
Sic media creber pecori frontem asperat ignis:
Sic Hyades Tauri toto procul ore coruscant.
At boream læuo qua Taurus acumine pulsat,
Desuper aurigæ dexter pes imminet astro.
Vna pedem Aurigæ dextrum cornuque sinistrum
Stella tenet pecoris: simul in connexa feruntur:
Sed prior occidui Taurus subit æquoris vndas.

CEPHEVS.

NEC mea musa senem tacitum Cephea relinquet:
Iasidem quoque summ.: poli Cephea reuoluunt:
Illum quin etiam rutilæ pater intulit æthræ,
Donauitque polo. tergum Cynosuridos Vrsæ
Post habitat, geminasque manus a pectore tendit.
At: diducta pedes tamen huic mensura seniles
Diuidit, extrema quantum pede distat ab Vrsa.
Non eget huius enim sedes sacra numinis hilum.

CASSIEPEIA.

RVRSVM declini si visum tramite vergas,
Prima tibi vt flexi linquatur spira Draconis,
Infortunatam spectabis Cassiepeiam.
Sed nec multa tamen, cum cælum lumine toto
Luna replet, tetram vt superet fax aurea noctem,
Occurret genitrix oculis quærentibus: adsunt
Lucida mœrenti, tenuis rubet ignis, & ægre
Lux hebes est matri: vix qualem Caria quondam
Nouerat intrantem per claustra tenacia clauem,

Formatur stellis distantibus: inque humeros vix
Tenditur angustos, nato fera fata retundunt.

ANDROMEDA.

NANQVE subest, teretisque poli simul orbe notatur,
Andromeda incendi, quæ semper luce coruscans
Sponte oculos in membra rapit: face denique vertex
Ardet anhelanti, geminamque per æra fundunt
Lucem humeri, & summis lux æstuat ignea plantis:
Ignea quinetiam per cælum singula flagrant.
Andromedæ, & toto vibrant in corpore flammæ.
Sed tamen hic etiam viuax est pœna dolenti:
Nam diducta vinas magna distendit in æthra,
Vinculaque in cælo retinent quoque tenuia, quippe
Brachia contortis adstringunt nubila nodis.

EQVVS.

RVRSVS odorato quæ vertex crine tumescit,
Andromedæ capiti succingitur indiga pleni
Alius Equi, summo quam fixa in vertice vibrat
Virginis, inque auras cornu vice surgit acuti.
Ipsa sub abscisso late micat aurea ventre,
Cornipedis simul hinc lux indiscreta renectit,
Communique rubent duo semper sidera flamma.
Treis latus atque armos alia pecoris pinxere, *
Et spacio distincta pari fax æmula flagrat.
Plurimus ignis inest, vasto globus æstuat orbe.
Sed non & capiti similis rubor, ipsaque cervix
Quamuis procero surgat iuba maxima collo,
Languida marcenti vix est spectabilis igne.
Vltima quæ mento sese explicat, haud minor illa
Quattuor est primis quæ formam lumine claro
Cornipedis simulant: non hinc Equus integer artus,
Non quadrupes cælo sustollitur, at tenuis Anio

Erigitur,

Erigitur, media iam cætera pone negantur,
Et quatit ætherias primis modo cruribus auras.
Nunc hunc Aonio quondam memorant Helicone
Inclita post Lyciæ redeuntem bella Chimæræ,
Mystica qua rupes doctis obmurmurat antris,
Herbarum carpsisse comas, & gramine odoro
Expleuisse famem, sed cum sitis arida fauces
Vreret, ac nullo manaret gurges hiatu,
Illisisse pedem, cornuque excita repente
Lympha camœnalem fudit procul Hippocrenen.
Aones hoc latici posuerunt nomen equino
Pastores: strepit hæc placido inter saxa susurro,
Atque Helicone cadens sese sitientibus herbis
Inserit, Æcreas donec vaga gurgite valles
Viuificet, rigat has animas & Thespia pubes
Semper, & in latices inhiat gens fontis alumni.
Ast Equus alterno redit inter sidera motu,
Oceanique salo caput exerit, haud tibi magni
Cura laboris erit cælo spectare sereno
Cornipedem: micat ille procul flagrantibus astris,
Et perfusa recens educit pectora ponto.

ARIES.

TVNC celer ille Aries, longi qui limitis orbe
Æthera percurrens, nunquam Cynosuridos Vrsæ
Segnior ablapsu conuertitur, haud procul astro
Visus Equi, magno celsum secat æra motu.
Parcior hic rutilæ semper facis, indigus ignis
Spectatur iusti. nam quanti luminis astra
Esse solent, aciem quibus aurea Luna retundit,
Marcida lanigeri tantum se forma sub auras
Exerit: in tenui quanquam primordia Phœben
Orbe habeant, nulloque decus de prospirat ore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed licet hunc oculis frustra sectere per æthram.
(Nam semper propriis caret ignibus) en tibi propter
Andromedæ claro rutilantia cingula in astro
Sr spectanda patent. vocat ingens baitheus vltro
Quærentem, non longa Aries statione locatus,
In conuexa redit parvo se tramite: subter
Distinet & medio cælum citus ordine currit,
Vltima Chelarum qua brachia, quaque coruſco
Circulus axe means rutilum secat Orionā.

DELTOTON.

Est etiam Graio quod semper nomine nostri,
Deltoton memorant: simile est latus istud vtrinque:
Porrigitur summum signo caput: angulus arctat,
Et genium suprema tui vicinia mordet.
Tertia quæ stantes sustentat linea ductus,
Parcior, haud similis sese sub limite tendit.
Et contracta modum gemina face flammigerarum
Stellarum superet. quin & qua subter in astro
Lanati marcent pecoris, pluuioque tepescunt
Iam vicina noto, minor istic linea luce
Et fulgore facis prauortitur: at locus olli
Post tergum Andromedæ, sic se tulit ordo dicatus.

PISCES.

Hinc si vicino flectaris lumina visu,
Inque notum sensim boreali ab cardine doctus
Inclinere oculos, proles tibi tertia Pisces
Surgent Bumbycij: sedes data quippe duobus
Piscibus, ingenti qua celsam circulus æthram
Orbe secat, tendit qua pœna extrema sinistræ
Alæ equus, mundo qua pectora Laniger alto
Vrget, & aduerso surgentem corpore Taurum
Respicit, hinc medio signantur sidere Pisces:

Quorum

Quorum alius rigida consurgit in aëra forma
Celsior, & boream propior supit alter aquarum,
Troicus haurit aquas, simulque ephebus ab vrnæ
Pone auidus iacet in notialia nubila pronus.
Sed tamen hi late stellis ex ordine fusis
Nectuntur caudas, & lenta trahuntur vtraque
Vincula, per cælum coeunt quæ cingula rursum,
Et rutilo confixa quasi super igne tenentur.
Cælestem memorat quem solers Gracia Nodum.

PERSEVS.

Ex humero Andromedæ læuo quoque noscere Piscē,
Qui vigidum celsi suspectat cardinis axem,
Perfacile est: vbi nam proximus iste sinistra
Cærulus erigitur. Quin & vestigia propter
Persea sub volueri par est tibi quærere forma
In caput inque humeros rotat ægram machina mundi
Andromedam: Threicī nam sub flabris aquilonis,
Nititur alato vindex pede, maxima cuius
Dextera mœrentis solium prope Cassiepeiæ,
Tenditur, ingentique dehinc vestigia passu
Puluerulenta quasi cano procul aere pandit.

PLEIADES.

Pleiades semoris pariter sub fine sinistri
Persei protollit: locus has habet arctior omnes
Connexas, lenta facis haud procul istas,
Ostentat rutili lux sideris, ægra sororum
Lumina, nec claro flagrat rubor aureus astro.
His genitor, vero si fluxit fabula fonte,
Pœnus Atlas, subiit celsæ qui pondera molis,
Caliser, atque humero magnum super æthera torquet.
Fama vetus septem memorat genitore creatas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Longaeuo: sex seruata inter sidera tantum
Sustollunt. septem fert fabula priscæ sororum
Nomina, sex sese tenui sub lumine reddunt,
Electra, Alcyone, Celæno, Taygeteque,
Et Sterope, Meropeque simul famosaque Maia
Prole dei cerni sex solas carmine Mynthes
Asserit: Electram cælo abscessisse profundo
Ob formidatum memorat prius Orionæ.
Pars ait Idæa defientem incendia Troia,
Et numerosa suæ lugentem funera gentis,
Electram tetris mœstam dare nubibus orbem,
Sæpius obscuris caput ut sit cincta tenebris:
Nonnunquam Oceani tamen istam surgere ab undis,
In conuexa poli, sed sede carere sororum:
Atque os discretum procul edere destitutam,
Germanoque choro sobolis lacerata ruinis,
Diffusamque comas cerni, crinisque solutis
Monstrari effigiem: diros hos fama cometas
Commemorat tristi procul istos surgere forma.
Vultum ardere diu, pectendere crinibus æthram,
Sanguine sub pingui rutiloque rubere cruore.
Quin Meropen addit postquam Sisyphëia vincla,
Et thalamos sæuo sortita est omine diuum,
Indignam aëria credunt mage sede fuisse.
Sic anceps numeri sit fabula, sexque per æthram,
Vergilias cerni tenet usus, sed simul omnes
Arctauere globum: ter in auras angulus exit
Flammiger, & mixtis Atlantides ignibus ardent.
Nec tamen est fama similis vigor, ampla sorores
Fabula nobilitat: modus ollis parcus, & ignis
Vix tenuis longe face sit spectabilis istas
Alterno redeunt cum bina crepuscula mundo.

Seu

Seu nox australes adolet cum cærula flammas,
Seu matutinus cum sidera disiecit ortus,
Conuolui cælo summa pater annuit æthra.
Nec minus aresti cum crine attollitur æstus,
Et cum cana comas redit anno bruma rigenti,
Tempora designant. nam si se gurgite tollunt
Vergiliæ, curuas in flauam nouilia falces
Exercere dies: si condunt æquore flammas,
Tellurem presso proscindere tempus aratro.

LYRA.

Est Chelys illa dehinc, tenero qua lusit in ano
Mercurius, curua religans testudine chordas,
Vt Parnassæo munus memorabile Phœbo
Formaret neruis opifex deus. hanc vbi rursum
Concentus superi compleuit pulcher Apollo,
Orphea Pangæo docuit gestare sub antro.
Hic iam fila nouem docta in modulamina mouit,
Musarum ad speciem: Musa satus ille repertæ
Carmina Pleiadum numero deduxerat: at cum
Impia Bassaridum carpsisset dextera vatem,
Et deuota virum tegeret Libethra peremptum,
Intulit hanc cælo miseratus Iuppiter artem
Præstantis iuuenis, pecudes qui & flumina vates
Flexerat: Adnixi qua semet sidera porro
Sustollunt, læuum propter Chelys hæc femur adstat.
Aduolat ast aliud latus Ales, & ore canoros
Tenditur ad neruos, media est Lyra sede dicata
Cygneo capiti, & curuo contermina signo.

CYCNVS.

Nanque & sidereis Cygnus secat æthera pennis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Donatus cælo, non claro lucidus astro,
Sed tamen os flagrans, & guttura longa coruscans,
Grandibus haud equidem stellis, non his tamen atris
Obscurisue micat, trahit in conuexa volatum.
Perfucilem, & dextrò late Cepheida dextram
Radens remigio, summa ad vestigia lenam.
Declinatur Equi: sic magno præpes Olympo
Subuehitur, subit occidui sic marmoris vndas.

AQVARIVS.

NAM post Cornipedem flagrant duo sidera Pisces,
Pisces Bombycy: caput autem subter equinum
Laomedontiada se dextera tendit ephebi.
Ipse dehinc longos insignis Aquarius artus,
Adstat ad hirsuti caudam pulcher Capricorni.

CAPRICORNVS.

IMVS vt australi descendit circulus axe
Signifer, inque notum rutili cadit orbita solis,
Hispida setosi marcet species Capricorni.
Huc cum Threicio veniens a cardine Phœbus,
Vertit iter, pulsusque deum, mirabile dictu,
Brumalis redigit, non tum mihi longa phaselis
Æquora tententur, non tum freta turbida pinu
Quis petat: angusto decurrit tramite nanque
Parua dies, vastoque dehinc deprensus in alto,
Nequicquam pigra clamarit sidera lucis:
Interea totis notus acer seuiet vndis,
Excitumque salum verret notus. aurea solis
Cum rotã cornigeri sidus pepulit Capricorni,
Tum dirum cælo frigus redit: aspera nautis
Tunc sunt fluctuagis: tamen isti sæpe malorum
Immemores, agitant totos in fluctibus annos,
Morgorum & focæ similes: trahit vnda pauentes,

Aeuetrahit: quærunt oculis distantia longe
Littora, & in pontum cogunt lucra semper hiantes.

SAGITTARIVS.

PAR metus ex pelago tibi sit quoque, sole Sagitta
Cum leuis adflatur, cum lux in arundine flagrat,
Ignis mundani cum tela extrema coquuntur,
Cumque Sagittiferi torret vapor aureus Arcus.
Tum quoque si piceam spectaris surgere noctem,
Informem tetris tellurem vt vestiat alis,
Littus ama, fuge solers cærula tegmina noctis,
Exitiumque sali, rabidique pericula ponti
Anteueni, iam solue memor vaga carbasa malo,
Iam prolixarum iaceat vigor antennarum.
Mensis at infausti vel duri sideris index
Scorpius exoriens sit tempore noctis adultæ.
Hic matutino veniens procul æquore cælum
Exigit e pelago, telum trahit vltima cauda.
Cunctatur pigro post tergum sidera iuxta,
Arcitenens tardos & gurgite liberat artus.
Tum Cynosura & iam matura in tempore noctis
Altius in boream sustollitur, abditus autem
Orion redeunte die, tum brachia Cepheus,
Protentasque manus, mediamque immergitur aluum.

SAGITTA.

QVIN norunt alia superûm conuexa Sagittam:
Sed tamen hæc arcu tereti caret, insciа nerui:
Insciа nam domini est: cælum super aduolat ales,
Ales Olor, sed Threicio conterminus axi,
Cana pruinosas extendit colla sub Arctos.

AQVILA.

ARMIGER hanc etiam Iouis aduolat, arbiter ignis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ætherij, sed membra minor: procul hic tamen alto
Cum redit a pelago, & mouet in conuexa volatum,
Fine tenebrarum, summaque in margine noctis,
Spumosum late mare subruit, omnia cœli,
Omnia terrarum mox flabra procacia verrunt.

DELPHIS.

TVM curuus caudam subit inter sidera Delphin.
Dux Neptune tui quondam super æquor amoris.
Hic iam detrusa in latebras procul Amphitrites,
Arduus occiduos humeris vbi sustinet axes
Pleiadum genitor, perruperat hic vagus omni
Gurgite dilectam domino maris vltimo ab orbe.
Mollis dorsa tulit: breue signo corpus in astris,
Et super auritum ponto surgit Capricornum:
Hic medios artus teter stupet, altera porro
Quattuor illustrat facibus rubor aureus, atque
Bis gemino discreta situ micat ignipotens lux.
Omnia quæ soli & rigido interfusa aquiloni,
Ætheris incurui moles rotat, inque frequentes
Occasus ortusque trahit moderator Olympi,
Sunt digesta mihi, quæ rursum limite abusque
Sese Hyperionio, pluuialis concaua in austri
Dimittunt, terram donec notus ambiat æthram.
Dicere Romuleo connitor carmine solers.

ORION.

SVBTRAHIT obliquo qua sese circulus orbe
Signifer, in boream australes egerit vmbras:
Vt medij iam mole poli fera pectora Tauri,
Suscipit Orion: neque quisquam nocte serena
Transierit, celso late se cardine pandit,
Auratumque rubens dimittit baltheus ensem.

SIRIVS.

TALIS & ipse virum gemina ad vestigia custos
Insequitur, sic flammigero distinguitur astro
Ætheria Canis ille plaga, cui plurimus ardor
Æstuat in mento, multus rubor imbuit ora,
Stridit anhelanti sice pestifer aera motu,
Torret & immodicis terras coquit ignibus astri.
Hic varios ardet stellis rutilantibus artus:
Sed non est similis cunctis vigor: vndique quippe
Alnus cyanea est, mento grauis effluit ardor,
Qui formidato sub nomine Sirius æthram
Vrit: huic rutilos si sol adflexerit axes,
Quantus corporibus, quantus labor imminet agris:
Marcebunt sata cuncta: diu nanque indiga succi
Si qua iacent, cedunt, valido penetrata calori,
Ac decoctorum languebunt germina florum:
Illa autem interno quæ sunt animata vigore,
Si prius attollit blandusque illabitur herbas
Sirius, & dulci nutrit tepefacta sereno.
Hunc hunc flammanti cum primum vibrat ab ortu,
Auribus atque animo capimus procul. altera si qua
Stellarum fulgent, rutilant quæ plurima, longi
Bellua fert lateris, neque multa luce coruscant,
Et designandis tantum sunt addita membris.

LEPVS.

PARVVLVS in stellis Lepus est quoque: nanque vbi magnus
Emicat Orion gemina ad vestigia subter
Vrgetur cursu rutili Canis: ille per æthram
Effugit instantem, premit autem Sirius ore.
Aspicuus primis emittit grages ab vndis:
Ille minax panidus supereditur, & proculidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cum Lepus occiduum sese inclinauit in æquor,
More latebrarum repetens freta, Sirius alto
Desiluit ab cælo, mersumque per humida quærit.

ARGO.

Magnvs Iasoniam cauda Canis extrahit Argo,
Puppe refulgentem: neque enim se Thessala cymba
Solenni in faciem monstro mouet extima puppis.
Surgunt oceano velut alto a gurgite nautæ,
Cum portum tenuere auidi, volitantia raptim
Sipara conuertunt, tergoque in curua remulco
Littora certatim subeunt simul, illa marinas
Iam defuncta vias, procul imi littoris algas
Pone subit, terramque tenens secura quiescit:
Sic Argo rutilam tantum inter sidera puppim
Ducitur, occultat rigido tenus altera malo.
Sponte gubernaclum puppis dimittit in vndas,
Celsior, ac merso descendit in æquora clauo.

CETOS.

Distantem Andromedâ prolixi tramite mundi,
Perterret Cetos. nam Threicij prope flabra
Andromedam borea celsò rotat æthere cardo.
Bellua dira noto vehitur: trahit auster in arctò
Ora inimica salo: nam qua se laniger alto
Cælo Aries tollit, qua Piscibus astra duobus
Augentur, rutilat subter Nereia Pistrix,
Efflua percurrens non multi fluminis astra.
Illa memor longæ formidinis, illa duorum
Inter signa tenax, horret squalentia monstri
Terga procul, pauidumque super caput inserit vndis.

FLVMEN.

Qvin & cæruleo flumen quoque gurgite manans

Astra inter sedesque deum, pars æquoris esse
Credidit Ausonij: nanque hunc dixere priores
Eridanum, Venetos late qui lapsus in agros,
Alpino Adriacos impellit gurgite fluctus.
Hic fusum cælo quondam Phaethonta sub vndas
Excepit senior, leue cum sensere iugales
Ætherij rectoris onus, cumque ignifer axis
Tramite sub mundi mortales sprenit habenas,
Diis data tum late texere incendia terras.
Astra vorax ignis, flamma sola cuncta coquebant,
Donec fata sui miseratus Iupiter orbis,
Redderet ætherij Phœbo moderamina cursus.
Illum prolixis diræ Phaetontides vlnis
Planxerunt, redit supero pax aurea mundo.
Eridanumque senem nutu Iouis omniparentis
Astra receperunt. Pharium pars altera Nilum
Commemorat, largo segetes quod nutriat amni,
Arentisque locos, vnda fœcundat alumna,
Vel quod de medij prolapsus parte diei,
Vastius in æquoreas pelagi sese infrat vndas.
Iste pedem lanum rutili subit Orionis,
Fusaque qua geminos adstringunt vincula pisces,
Eridani coeunt anfractibus, vt procul ille
Tenditur effusi vi gurgitis: huc quoque crista
Cedit apex, summa qua lux Pistrice coruscat
Desuper, & flamma caudarum cingula figit.

PISCIS MAIOR.

Inter demissum procul in vada cærula clauum
Puppis Iasoniæ depictaque terga carinæ,
Et Pistrim vndicolam, Leporis qua tenditur alnus
Stellarum creber rutilat rubor, haud tamen istis
Vel lux multa micat, vel sit memorabile nomen:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nulla etenim forma flammarum Iuppiter ignes
Discreuit, nullos simulant hæc corporis artus,
Qualia digesto mundus sacer ordine volvit,
Semper in antiquum retrahens iter omnia secum.
Seclorum serie longa. istas denique signant
Interualla faces, similis quoque lux habet omnis,
Par modus, occasu pariter referuntur & ortu,
Ne exspectanda forent ponto quod sola carerent.
Cætera descriptis aptantur singula membris,
Formarum flagrans leporem, qua Sirius vrget
Languida, nec certo sub nomine cuncta feruntur:
Vltra setosi rursum speciem Capricorni,
Cardinis immersi qua sunt australia flabra,
In Pistrim horrificam conuersus viscera piscis
Subuehitur. notium vocat istum Gracia piscem.
Stellæ aliæ mundo qua pulcher Aquarius instat,
Et qua cristato consurgit bellua dorso,
Vsque sub aërij rutilantia sidera Piscis.
Sunt mediæ flammæ sterules ac lucis egenæ:
Nam passim ignoti vice vulgi semet in æthram
Protollunt dextram, sed tantum propter ephebi
Pocula, quem diuûm mensis gestare loquuntur,
Efflua se species liquidarum fundit aquarum.
Partes ingeminas: lux illic clara duabus
Est solum sicibus, non hæ spaciosa per æthram
Interualla tenent, neque lumen lumine forte
Colliduntur, vni Phrygium nam subter ephebum
Ardet apex, aly qua cæruam bellua caudam.
Terminat insignis, lato vomitur globus igni.
Cunctis nomen Aqua est, quæ stellæ denique propter
Ora Sagittigeri, qua se vestigia prima

Cor-

Cornipedis simulant, circumuoluuntur Olympo
Quæ sua sub tenui tenebrosus marceat ignis.

ARA.

ECCE venenatæ qua Scorpius agmine caudæ
Plurimus exigitur, tepidumque supermicat austrum,
Parvulus hic Aram locus exprimit. hoc satis arcto
Tempore suspicies mundo rutilante referri.
Nam polus aduerso qui tollitur axe Bootis,
Quantum suspenso vada linquit turbida cælo
Oceani, tantum in sibimet contraria tendit.
Arcturum vertex leuat arduus, imbriser austri
Aram cardo premit: brevis olli semita cæli,
Occasusque celer, tamen isto luciparens nox
Fatis hominum miserata prius, miserata labores,
Certa procellarum statuit procedere signa,
Ne tibi cum denso conducitur aëre calum,
Inter nimbiferas nubes spectabilis exstet
Ara poli, longa vt glomerent circumque supraque
Fœta pruinarum se vellera, qualia tristi
Coguntur vento, terraque excita per æthram
Nubila conceptos effundunt desuper imbres.
Non Ara, non sit tali sub tempore vertex
Clarior hoc: nam sæpe nouum præscire signo
Nox docuit, noctis siquis præcepta sequatur,
Incassum Zephyri volunt mare: si quis at ista
Respuat, incautas percellent flabra carinas:
Vix, scis, sera Iouem subeat miseratio rerum,
Pigra salus nautis redeat fluctantibus alto.
Certior ast ollis veniet spes, axe supremo
Sub borea stringat rutilis coma fulgoris auras.
His signis austri raptabunt flabra fluentum,
Donec de borea rutilum iubar emicet axe.

D

Universidad de Deusto
Biblioteca

At si Centaurum medio sub tramite cæli
Videris, vt ſtructu tantum discedat eoo,
Quantum adit occaſum, ſu tectus deſuper autem
Nube humerum, & cælo ſint omnia ſigna priora,
Eurus erit, verret ſalſi vada gurgitis eurus.

CENTAVRVS.

CONTEMPLATOR enim geminæ rutilantia ſerma
Viſcera, quod ſignis ſubtexit membra duobus.
Nam qua parte hominem quadrupes ſuſtollit equino
Ventre ſuperſtantem, verſatur Scorpius ingens:
At qua cornipedem media vir fundit ab alvo,
Curua venenati ſunt tantum bracchia ſigni.
Ille autem dextram protendere viſus ad Aram
Cælicolum, inſta perſolvit munera vitæ,
Agreſtemque manu prædam gerit: hic vbi celſo
Pelion adſurgit dorſo, nemoroſaque iuxta
Inſerit aerijs iuga nubibus, arbiter æqui
Egerat Alcidæ legum poſt bella magiſter.

HYDRA.

DESVPER ingenti ſeſe agmine porrigit Hydra,
Quæ prolata ſatis longe latus explicat æthra.
In Cancrum protenta caput, caudamque ſereci
Centauro inclinat, tranſit ſpatioſa Leonis
Viſcera, & ingenti ſub Virgine ſumma quieſcit.
Quinetiam ſpirare putes, ſic agmina cælo
Lubrica conuoluit, ſic ſpiras pendula torquet.
Sic & flammigero linguam iacit ore triſulcam.
Spirarum medio geſtat Cratera coruſcum,
Vltima cæruleum ſuſtentant agmina Corvum,
Ales vt intento ſociat vaga viſcera roſtro.

PROCYON.

VLTIMVS eſt Procyon Geminorum ſubditus aſtro,

Ore micans rutilo, truncæ face viſcera lucens.
Iſta voluntatos cernuntur cuncta per annos,
Hæc vehit Oceanus pater omnia, merſaque rurſus
Hauriet Oceanus, trahit ingens machina cæli,
Cuncta ſuperpingunt rutilam ſua ſidera noctem.

PLANETÆ.

QVINQVE itidem ſtellæ, ſimilis quibus haud ſit imago,
Nec quas formarum doctus notet adſixarum,
Per biſſena poli volitant rutilantia ſigna.
Nullus eas alio paſto deprendere certet:
Tam vaga per totam cunctis via deſuit æthram,
Semper & aduerſo referuntur tramite mundi.
Mundus ab Eoo trahitur reparabilis alto,
Pronus Atlantei procul in vada cærula ponti:
Illæ in ſubiecti cogunt iter atheris orbem,
Nitentes in ſumma poli, motuque feruntur
Aduerſo Solis radius, ceu cum vada cymbam
Prona vehunt, ſi quis prora nitatur ab alta
In puppim proferre pedem, via carpitur olli
Curſibus inceptis contraria: vis tamen iſtis
Obnia labenti ſemper ſuſtollitur æthræ,
Vnicaque in Solis adolent incendia flammis,
Longa volutandis tamen ollis tempora currunt,
Pegraque ſereferunt, ſedes ſortita priores
Omnia: non illis animis audacibus ergo,
Carmine non cæco tentaumus, hoc ſatis vnum
Muſa mihi, ſatis hoc longi labor egerit æui,
Si deſixarum curſus & ſigna retexam.

CIRCVLI.

QVATVOR aerios Zonæ cinxere meatus:
Quatuor has curſus & tempora noſſe volentem
Scire ſat eſt, quin ſigna etiam ſunt quatuor iſtis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Plurima, quæ Zonis hærentia conuoluuntur.
Ipsa inconcussa retinentur sede per aimos,
Mutuaque implexa sibimet consortia mordent:
At modus in binis protenditur. Aera, pepli
Sidera nocturni, si suspectare libebit:
Nec scindunt medium Phœbeia lumina mensem,
Languet vt in stellis species hebes, omnia cali
Illustrante dea, ac flammas superante minores.
Orbe sed haud pleno sinit igni feruere acuto
Sidera, candentis speciem super insplice Lactis
Protendi cælo: color olli nomen aborsu
Primigeno statuit se, Zonam Græcia solers
Concelebrat, nostro sic Baltheus ore notatur.
Non isti forma similis, similisue colore
Circulus est alius: modus & mensura duobus,
Est compar solis: alios duo parcior arctat
Linea, nec multa trahit istos ambitus æthra.
HORVM alius duri cum soluunt flabra aquilones,
Et cum præcipitant borealia flamina sese,
Axe Lycaonio iacet obuius: hic Geminorum
Sunt capita, hic genua Aurigæ defixa quiescunt:
Circulus hic idem retinet pede Persea læuo,
Atque sinistro humero cubitó tenus: hic quoque dextrã
Sustinet Andromeda manus extima, desuper acri
Subrigitur boreæ, cubito inclinatur in austrum
Mœrens Andromeda: hic celeris vestigia summa
Præstringuntur Equi, præstringitur Ales ab ipsó
Verticis extremo: secat hic humeros Ophiuchi
Circulus, & secum flagrantia dorsa reuoluit;
Erigone tepidum sese summittit in austrum,
Virgineusque pudens Zonæ superimminet artus.
Sed Leo, sed Cancer borealis tramite cæli

Viscera

Viscera protendunt, at circulus ima calentis
Pectora perque alium procul in postrema Leonis
Succedit: secat ast alius per viscera plana,
Et medio subter caua tegmina diuidit orbem,
Lumina recludens altrinsecus, orbita porro
Ista poli partes si discernatur in oclo,
Quinque supervoluit se partibus: at tribus alti
Intrat stagna sali: sol istinc flammiger æthram,
Iam relegit, pulsusque deus semel ordine facto
Flectitur æstiuo, neque celsum semita in axem
Sideris erigitur, via rursum nota iugales
Suscipit, inque notum rutilo redit orbita solis.
Circulus iste quidem Cancro tenus adiacet axi.
SEMPER in occiduo procul alter cardine in austri
Diuidit imbriferi corpus medium Capricorni,
Idaique pedes pueri, postremaque cauda
Cærulea, breuis hic lepus, hic canis artus
Conditur extremos: hic Thessala cernitur Argo:
Hic Centaurea fera molis terga secantur:
Iste venenatæ diuecta volumina caudæ
Amputat: hic arcu protenditur ampla Sagitta.
Vltimus hic Phœbo locus est, vbi lapsus in austrum
Pellitur, albenti cum canent tempora bruma:
Sideris hic metæ procul istuc calite cursu,
Axe sereniferi descendit Sol aquilonis.
Partibus iste tribus tantum se circulus effert,
Quinque latet, crebri succendens stagna profundi.
INTER vtrumq; dehinc quantus iacet ambitus illi
Zonarum, cani speciem qua lactis in æthra
Cernitur, ingenti se tramite linea tendens,
Diuidit ima noti, discernit & alta aquilonis:
Hic lucis modus & tenebris sub lege magistra

Universidad de Deusto
Biblioteca

Penſitur, nox æqua diem ſubit ensula, Phœbus
Lumina ſubſtituit paribusque reuoluitur horis,
Vel cum ſumma æſtu coquit agri viſcera hiantis,
Vel cum floricomo iam tellus vere mouetur.
Aſt iſti celſa qua tramite panditur æthra,
Indicium eſt Aries: hunc totum linea quippe
Suſtinet: hic Tauri curuantur crura minacis,
Et rutilat ſtellis hic baltheus Orionis.
Spira Anguis lenis hic, craterque tenacia coruì
Ora inhiant: hic ſunt flexarum denique flamma
Chelarum: genua hic rigidi vibrant Ophiuchi.
Nec Iouis armigero caret Arte: nanque per ipſum
Fulua Aquila eſt caput, hic Equus eminet, hicq; comãti
Cernice erigitur clarè dator Hippocrenes.
Treis omnes vecte contentos tramite cœli,
Diſtantesque pari ſpacio ſibi tranuigit axis,
Omnibus & medius vt circumſtenditur idem.
Desvper obliqua eſt aliis via, quartus & iſte
Stringitur arctatus Zonarum mole duarum
Quas ab diuerſa mundi regione locatas
Scire repercuſſi momentum diximus aſtri.
Hunc alius medium medius ſecat, haud dea Pallas,
Vel licet hæc cunctos præcellat acumine diuos,
Compingat parili ſic lubrica plauſtra meatu,
Implicet vt ſpaciis ſibimet diſtantibus orbes,
Qualia denexo nectuntur ab ordine cuncta,
Vrgenturque viam ſimilem, noctesque dieſque.
Lucis ab exortu procul in vada Calpetiana.
Nanque Titanco cum ſunt elata profundo,
Rurſus in occiduos merguntur ſingula fluctus
Ordine partito. ſimilis naſcentibus ortus:
Scandendi lex vna mouet. par denique lapſus

Omnibus,

Omnibus, & ſimili condiuntur ſidera caſu.
Ille autem oceani tantum deſcendit in æquor,
Quantum ab cæruleo diſtat Cancro Capricornus:
Et quam multus item eſt vbi gurgite protulit ortum,
Taurus in aduerſus itidem eſt cum labitur vndas,
Signifer in ſpacium quantum deducitur ora
Ambitus extrema. puncti vice terra locanda eſt,
Vnde acies oculis cum tenditur, hæc quoque puncti
Sedem habet. hoc ſigno procurrit miſſa per auras
Signiferi in ſummum, medio de tramite ſi quis
Dirigat obtutus agilis procul, hoſque locorum
Deſeſſos longo ſpacio tener amputet aër.
Id quod contenti viſus abſcinditur vltro
Si qui in ſigniferi patulum circumferat orbem.
Sex olli partes magna dabit ambitus ora.
Aſt hæ dimenſa ſpacij ſic lege locantur,
Binaque deciſis includunt partibus aſtra.
Olli Cancer inest, Leo flammifer, Attica Virgo,
Brachia ſunt itidem Chelarum, & Scorpius ipſe,
Arcitenens: ſetoſa dehinc ſpecies Capricorni
Voluitur, auratum protendit Aquarius vrnam.
Tum duo ſunt Piſces, Aries, Taurus, Geminique.
His ſe bisſenis ſol admouet, hisque recurrens
Omnibus abſoluit totos reparabilis annos:
Quæ cum ſigniferi graditur ſol aureus orbem,
Singula fruziparos attollunt tempora vultus.
Illius oceano quantum ſubmergitur alto,
Tantum telluris ſupereminet, omnibus iſtę
Noctibus illabens pelago ſex inſerit aſtra,
Sex reparat: tanto nox humida tempore ſemper
Tenditur, extulerit quantum ſe circulus vndis.
Aut ſi ſcire velis, mora lucem quanta retentet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et quanto nox atra sibi trahat ocia lapsu,
Quæ procul oceano consurgunt signa notato:
Horum semper enim comes est Titanius vni:
Horum prima oculis memor incunabula quære
Luminis ipsa, vagi captans venatibus ipsi,
Ipsa notans mundo quæ sic se nubibus abdent.
Aut si consurgunt, vt tellus sæpe tumescit,
Occultata ingo, prætentaque rupe latebunt.
Prompta via est aliis venientum tempora signis
Noscere, nauque ipso deprenderis indice cuncta
Oceano, magnam qua circum amplectitur vndis
Tellurem, curuet celando vt littora mundo,
Latius atque sinu patuli salis hauriat astra.
Æstus indicium præbebunt cornua semper,
Vel matutino qua perstrepit aere fluctu,
Aeer Athlantei vel qua furit æquoris æstus.
NAM non obscura, cum Cancer commouet ortum,
Oceano stellæ circumuoluuntur vtroque
In freta labentes, aut qua rursus eos
Parte ferunt mundi. Minoe clara Corona
Serta cadent, austri tergo cadet incola Piscis:
Hunc medium pendere tamen, mediumque sub vndas
Cedere per spinam rutila labente Corona
Semper suspicies: at tergi plurima versum
Ventre tenus summo supera inter sidera cernes:
Os & colla dehinc & pectora vasta per æquor
Mersantur, premit ab genibus celsos Ophiuchum.
Vsque humeros Cancer: Cancer premit ortus & Anguis.
Agmine qua vasto fluit ad caput aspera ceruix:
Qua tumet & spatiis, qua surgent pectora primis.
Parte nec Arcturus dissabit multus vtraque:
Iam minor in superis, iam viscera plurimus alto

Conditur: hunc etenim consortem quattuor astris
Oceanus recipit: satur hic vix luminis Amni
Cedit, & inspiciens tandem connexa relinquit.
Tum iam plus mediis nox inclinabitur horis,
Cum labente die Phœbo comes ibit in vndas:
Ista quidem vasti condentur gurgitis alto:
Contra autem nulli concedit sideris ortus
Orion rutilans ardentia cingula late,
Et flagrans humeros, & splendens ense coruscus,
Eridanumque trahens alto se ittore tromit.
ADVENIENTE dehinc villoso colla Leone,
Omnia quæ Cancro sese emergente per æthram
Extulerant, abeunt: quin & Iouis Aetos in vndas
Conditur, & totis raptim petit æquora pennis.
Sed Nixus genibus replicato luce residens
Poplite, iam supera celatur corporis artus.
Non tamen iste genu, non læuam gurgite plantam
Occultat, non oceanus vorat omnia signi.
Proferit Hydra caput, claro Lepus exsilit ortu.
Et Procyon, primique pedes Canis igneomantis.
ERIGONE salsis cum vultum exegerit vndis,
Aeris vt patuli iam conscia permeet æthram,
Astrorum numerosa premit. nam Virgine eoa
Consurgente, freto cedit Lyra Cyllenæa,
Cedit Delphinus pelago, ceditque Sagitta,
Primaque pennarum pars canum condit Olorem:
Vix iam cauda salum superat: vix lumine parco
Emmet Eridanus, ponti procul effluia tingit.
Celatur Sonipes caput impiger, ardua ceruix
Tethyos ima petit salsæ, iubar ora madescit.
Hydra superpositum procul in cratera mouetur:
Parte alia & liber vestigia Sirius ardet:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vltima cæruleo producens æquore puppim,
Illa micat, maloque tenus sese exerit Argo,
Cum iam virgineos æther vehit altior artus.
Nec cum flagratas emittunt marmora Chelas,
Sideris expertes & clara luce carentes,
Non est nota dies, aut est ignobilis ortus:
Namque his indicium proprio fert ore Bootes
Plurimus exoriens, Arcturumque eminus alto
Cardine succendit: iam celsa Thessala puppis
Æthere subuehitur: iam mundo fundítur Hydra
Longior, extremæque polum subit indiga cauda:
Cerua Chij cælo consurgunt brachia signi.
Inspice cæu dextra referatur ab æquore planta,
Inque Genu tantum nixus pede proferat ortum.
Iste Lyræ rutilat conterminus, atque sub vndis
Hic tenebris petit occidui vaga cærula ponti,
Et mox oceano reparatur clarus eoo.
Cum Chelis igitur pede tantum promitur vno:
Ipse dehinc versus procul in caput, vltima monstri
Terga manet, manet Arcitenens dum spicula cælo
Exerat, & superà vibret bellator in æthra.
Hoc sidus reuehunt Chelæ, crus Scorpius ipse,
Cætera cum medio, lauam, & caput, oraque rursum
Arcus agit. tribus hic tandem memorantia membra
Partibus erigitur, tria totum denique signa
Absoluunt pelago. media tum serta Corona.
Ex qua Centauro diffunditur extima cauda,
Prima venenati cum reputit brachia monstri,
Surgunt oceano iam gregite, & vltima Cycni.
Et caput acris Equi premit æquora: iam procul ista
Marmoris occidui penitus petiere profundum,
Hausta salo: caput Andromedæ freta vasta receptant:

Ac formidatam detexi cardine mundi
Fluctigeni speciem monstri superinuehit auster.
Sed boreæ de parte trucis velut aggere ab alto
Prospiciens superi subiecto verticis axe,
Intentusque procul specie, vaga brachia Cepheus
Exerit, & sæuam pelagi monet adfore pestem.
Illa tamen versa in fluuium postrema profundo,
Tingitur ab spina capiti quæ proxima summo est.
Vndique succedens Cepheus, & verticem & vlnas
Mersatur patulus. Quum & tum Scorpius acer
Nascitur oceano, quicquid per sidera aquarum
Ad speciem Eridanus pater exput, abditur alta
Tethye, & occidui tegitur Padus æquore ponti.
Scorpius ingentem perterritat Oriona,
Proserpens pelago. vetus, o Latonia virgo,
Fabula, nec nostra struimus mendacia versu
Prima, neque obduri compegi germinis: atqui
Prima dedit populis. cæcus mos mentis acerbæ,
Immodicusque furor sceleris penetrauerat æstro
Impia corda virûm: tabuerunt dira medullis
Protinus in mediis incudia: plurimus ardor
Pectore flagranit. tene improbus ille, procaxque,
Te dea, te dura valuit contingere dextra?
Cum sacrata Chij nemora, & frondentia late
Brachia lucorum, cum silue colla comasque
Deuotæ tibimet manus impia demolita est.
Audax haud facinus dorum foret Oenopioni:
Digna sed immodico merces stetit illicet ausu.
Nam dea nubiferi perrumpens viscera montis,
Dirum antris animal sæuos vomit hostis in artus.
Ergo vt falcatis monstrum petit Oriona
Morsibus, & totas in membra ferocia chelas

Universidad de Deusto
Biblioteca

Intulit, ille mali pœnas luit. ista furori
Præmia debentur, sunt hæc commercia læsis
Semper numinibus. metus hic, metus acer in astro
Permanet, & primo cum Scorpius editur ortu,
Orion trepido terra petit extima cursu.
Nec minus Andromeda quicquid volitabit in æthram,
Et siquid Pistrix reliquum connexa vehebant,
Hoc oriente ruunt: omnes procul in vada terror
Ingerit, & cunctos pauor vnus in æquora cogit.
Cepheus ipse caput, distentaque brachia vasto
Induitur ponto: tellurem cingula radunt.
Extima, & oceano mersantur pectora rauco
Sola senis, reliquum polus ast a littore versat.
Semper in occiduo genitrix quoque Cassiepeia
Sidera præcipitis sequitur labentia nata.
Desormemque trahit procul in vada cæca ruinam.
Prona caputque solo solio vestigia ab alto
Sustollit miseranda: superquatit ira furorque.
Doridos & Panopes post fata nouissima matrum:
Ac memor has pœnas dolor exigit. omnia fluctus
Hæc simul occiduos subeunt. tamen altera in vndis
Sufficit, inque vicem lapsorum multa reportat.
Tempore namque isto reliqua se ferta Corona
Expediunt pelago, postremique agminis Hydram
Erigitur caudam: caput, & turgentia membra
Centauro exsuperant: manus effert dextera prædam
Siluarum. nam prima fera vestigia mollis,
Arcum sera manent: Arcu redeunte per æthram
Protulit, incipiunt reliquum Serpentis & artus
Anguitenentis: item fert primis fluctibus Arcus
Amborum capita, & primis geminas Ophiuchi:
Ac primam rutili spiram Serpentis eo

Scor-

Scorpius oceano surgens agitat. pede Nixi,
Quem procul auersum semper salis altera mittunt,
Tunc artus medij, tum pectora vasta humerusque,
Dexteraque vinarum spumosi gurgitis æstu
Procedunt. Pariter caput & manus altera porro,
Tota sagittiferi cum vibrant astra, fruuntur:
Mercurialis item Lyra volutur, altaque Cepheus
Cardine sustollens vestigia: gurgite nondum
Pectora liber agit, sed pectora mersus in vndas,
Plaustra Lycaoniæ pulsat pede desuper Vrsæ.
Tempore non alio magni Canis igneus ardor
Sidera: protentum freta tam procul Orionа
Hauserunt pelago, toto Lepus occidit æstu.
Tum quoque & oceano fugientem Sirius vrget.
Sed non Aurigam, cum gurgitis ille profundi
Ima petit, pedibus Capra mox, Hœdique sequuntur:
Ista polo rutilant, illum vada liuida condunt:
Hæc membris discreta aliis, exstantiaque alte
Lanum humerum & summæ sese attollentia palmæ
Cernuntur, donec labenti congrada soli,
Sidera demexo freta late cærula turbent.

NANQVE manu Auriga, reliquum celsumq; coruscis
Verticis, & dorso qua spina attollitur alto,
Deprimit hirsuti sidus surgens Capricorni.
Membra Sagittigero cedunt postrema reuecto.
Iam non alatus remoratur sidera Perseus
Aeris in spaciis, neque clauum vendicat Argo.
Illunione fato Perseus pede denique dextro,
Atque genu libero, mersatur cætera ponto.
Argo quod curuis puppim superattrahit oris,
Tingitur, & duro tingit vada cærula dorso.
Ipsa dehinc manet exortum Cilicis Capricorni:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Totaque cum pelago cælo descendit ab alto,
Æquora cum Procyon gressim sectatus herilem,
Intrat, & oceano permutat celsa profundo.
Hæc habet occidui plaga gurgitis, ista sonoro
Supprimit vnda sălo. rursum procul erigit æthra
Cycnum, Aquilamque Iouis. surgunt flămata Sagitta
Sidera, perque notum rutila tum numinis Ara,
Delphinum paruas promit Capricornus in auras.
Et matutino cum surgit Aquarius orbe,
Os Equus atque pedes nouus exerit: ecce cadentis
Parte poli trahit occiduum nox atra sub æquor
Centaurum cauda, sed non caput, aut humerorum
Vasta simul recipit: persistit pectore celsō
Cornipedes species, & cælum vertice fulcit.
Ora dehinc Serpens, & prima volumina tantum
Conditur: ingentis late tamen agmina cauda
Pone trahit: subit ista sōlum, subit æquora rursum
Integer oceani, cum se Centaurus in vndas
Iecerit, atque nouo vibrarint sidere Pisces.
His in summa poli surgentibus, alle per austrum
Piscis stem planta, quem pulcher Aquarius vrget,
Redditur, haud toto tamen hic se corpore premit:
Sed manet alterius venientis tempora signi:
Parte latet, partem supera in connexa sonoris
Fluctibus absoluit pelagi: sic brachia mœsta
Andromedæ, sic crura dehinc humerique nitentes
Paulatim recauo redeunt maris aurea cælo.
Postquam adolent Pisces incendia, denique Pisces
Cum rutilant, mundo dextram hæc attollet in vbram
Lęuaque virgineī rursum se corporis edunt.

PHRIXEI & postquam pecoris prorūperit ortus
Australem hic aries Aram procul admouet vndis
Gur-

Gurgitis occidui: qua lux redit, excitat idem
Perſea proceri sustollere verticis astra,
Et claros fulgere humeros: ac cætera nondum
Sunt exempta sōlo, quin totum hoc inunda veri
Natura ambigua rerum ratione reliquit,
Eximus an reliquos Aries produceret artus:
Perseos, an Tauro fretus pelleret adsurgente
Hoc vna cælum, subit integer haud ipse vlla
Viscera, nascentis noua Tauri deserit astra.
Quippe huius flammis Aurigæ sidus inhæret:
Nec tamen hinc totum sustollit Taurus in æthram:
Aurigam sēsis euoluunt fluctibus omnem
Surgentes Gemini, Tauro, Capra, plantaque læua
Nempe hœdi euadit, cum primum rursus ab vndis
Cetosa in superum referuntur viscera cælum.
Nam caudæ & crista rigor arduus æra celsum
Tunc repetunt, diri cum sidera gurgite monstri
Voluit præcipitis teres inclinatio mundi,
Emmius ingentem condit pars prima Bootem.
Quattuor hic etenim signis surgentibus altum
Vix penetrat pelagus, neque summa totus ab æthra
Labitur Arctuus: manus olli quippe sinistra
Iuge manet, celsisque super subducitur Vrsis.
At cum iam pedibus repetit fluctus Ophiuchus,
Vix genua oceanus vasto procul æquore condat,
Signum erit eoa Geminos procedere parte:
Nec latet Hystrix cuiquam vicina videtur,
Sed iam tota super sustollitur: expulit æthram
Iam pelagus speciem, nec adhuc tamen extima sorbent
Quid ne nascentis suspectat nauita pœnto
Agmina prona Padi? cælo tum feruere aperto?
Vicinasque faces vtilis manet Orionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Curricula vt solers vero mox indice discat
Certa tenebrarum, possitque fideliter astro
Explorare notos & tuto carbasa ponto?
Credo, ni desit magnorum congrua cura,
Prompta via est ipso cognoscere talia semper,
Præceptore Ioue, & cælo tibi signa magistri
Omnia docentur: monet alta Iuppiter æthra
Singula nos, facilis veram dedit arbiter artem,
Ne tempestatum primordia cæca laterent.

PROGNOSTICA.

Nonne vides, primũ cum Phœbe in cornua surgit
Tenuia, & angusto lumen iacit ore per æthram,
Decedente die, pronoque ab tramite solis,
Promat vt ingressus solers tibi tempora mensis?
Nanque facem quarti sibimet profitebitur ignis,
Corpora cum primum perfundens lumine nostra,
In subiecta sibi tenuem porrexerit vmbram.
Aſt orbis medij si cedat Cynthia formam,
Octauos ortus, octauaque plaustra docebit.
Denique cum toto dea iam surrexerit ore,
Integer vt magni resplendeat ambitus orbis,
Effluxisse sibi medij iam tempora mensis,
Monstrabit calo: pleni cum rursus egena
Oris eat, tanto procedens lumine forma,
Inserit aëriis quantum dea nubibus ignes,
Esse senescentis sibimet dispendia mensis
Illa docet, quibus in rutili confinia fratris
Tertia vix mundo supereſt via: cum minus autem
Vmbrarum excludit, sunt tales quattuor ortus
Marcentis Lunæ, quales sub mense renato
Quattuor exsurgunt languentis luminis vmbræ:

Atque

Atque his octonas volvendum ordine luces.
Interiectorum numerum quoque nosse dierum
Prompta via est, proprio semper dea proditur ore,
Scandat quanta polum, quoties ternione ingales
Strinxerit, & quanto iam tramite liquerit vndas.

At decedentis postrema crepuscula noctis,
Bis sex signa tibi quæ versat Signifer orbis
Monstrabunt cursu: nam Phœbus singula mutat,
Semper & alterno succedit in omnia lapsu,
Conficiens iter ætherium: nunc igneus istud
Astrum adolet flammis, alij nunc aurea Titan
Lumina miscetur, vel cum deuexus in vndas
Labitur, & rebus formam absumpsere tenebræ:
Vel matutino redit incunabula linquens
Cum polaro, & rebus suffundit luce colores.
Sic diuersa diem comitantur sidera semper.
Non ego nunc longo redeuntia sidera motu
In priscas memorem sedes, habet ista priorum
Pagina, & incerta rerum ratione feruntur.
Nam quæ Solem hiberna nouem putat æthere volui,
Vt Lunæ spacium redeat, vetus Harpalus ipsam
Ocyus in sedes momentaque prisca reducit.
Illius ad numeros prolixa decennia rursum
Adiecisse Meton Cecropia dicitur arte,
Insedit que animis, tenuit rem Græcia solers,
Protinus & longos inuentum misit in annos.
Sed primæua Meton exordia sumpsit ab anno,
Torreret rutilo cum Phœbus sidere Cancrum,
Cingula cum veheret pelagus procul Orionis,
Et cum cæruleo flagraret Sirius astro.

Hoc vt fons est, vnde & duxit tempora Luna
Nauita, quo longum facilirate curreret æquor,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Æquora ruris amans, telluri farra parenti
Crederet: ingenti petat hæc indagine semper,
Seu qui vela salo, seu qui dat semina terræ.
Nec mora discendi, breuis hic labor, & breue tempus
Poscitur: innumeros habet autem industria fructus.
Vtilitas te certa manet, prænoscere motus
Si libet aerios, & tempestatibus ipsis
Edere principium: te primum sponte procellis
Arcebis rabidis, te rursum principe fluctus
Vitabunt alij, si certis singula signis
Tempora discernas. nam mundi cardine verso,
Vt stata rauciſonis redit indignatio ponti.
Sæpe etenim quanquam tranquilla noctis amictu
Mitia protenti requiescant terga profundi,
Doctus securam subducit ab æquore classem
Nauita, & Alcæa retinet statione phaselum,
Cum matutina præsensit signa procellæ.
Nanque alias cælo cum tertia lumina Phœbus
Exerit, ille sali fuit implicabilis horror,
Adfore quem pelago comitem sibi dixerat astrum:
Crebro quinta dehinc lux commouet Amphitriten:
Sæpe inopina mali clades ruit. omnia certis
Indiciis tibi Luna dabit, seu lucis utrinque
Cæsa facem, seu cum teretem concrescit in orbem.
Sol quoque venturas aperit tibi sæpe procellas,
Sidera producens, & cum sale sidera condit.
Nec minus ex aliis aderit cognoscere motus
Æquoris, & magnos cæli callere tumultus,
Quos det certa dies, quæ longi tempora mensis,
Astrorumque vice & mundi ratione trahantur.
Aeris immadidum quiddam tellure creatum
Spiramenta vomunt, vis hoc cum fundit in auras

Vena-

Venarum, occulte patulo prætexitur agro
In subiectum oculis, terramque supernatat omnem,
Multaque materies, quam cum calor igni comantum
Hausit stellarum, superas subducit in auras,
Et concreta diu compingit nubila mundo.
Si minor hæc madidi substantia cespite ab imo
Subrigitur, tenues nebulæ caligine fusa
Tenduntur cælo: vis autem siccior olli
Cum fuit, in celeres diffoluit vndique ventos,
Vicinumque sibi flabris dominantibus vltro
Aera propellit, si maior protinus humor
Consurrexit humo, pluuias quoque nubila fundunt.
Et pluuiis late calor est pater. hic super imbres
Exprimit, & ducta feruentis vt obice mundi
Reppuit humorem: si molles, magna vtriusque
Occurset sibimet velut obuia, cominus agris
Compulsa aërio fragor intonat, amplaque late
Murmura discurrunt pariter crepitantibus auris.
Hic inflictus item, diuersorumque per æthram
Sæpe superna fiorens, illisos fulguris ignes
Excludit, rutilis totumque volantibus æthram
Præstringit flammis: & cælum sulfure odorat.
Omnibus his genitrix tellus, & cespite ab imo
Ducuntur superi motus: ipsa ignea mundi
Lumina, flammigero Phœbus temone coruscans,
Et quæ noctiuagos attollit Luna iugales,
His peperere malis exordia. nanque deorsum
Mouit humum cum forte calor, laxata repente
Spiramenta soli venas procul altaque pandunt
Viscera telluris: bibit imum terra calorem
Desuper, & madidum tepefactus cespes anhelat.
Aeris hos motus, rabiemque volubilis vndæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Flabra procellarum, mundani tramitis iras,
Præsentire deces. capet solers singula mentę,
Præceptisque virûm sitientia pectora pandet.
Cynthia cum primum cælo noua cornua promit,
Cautus utrinque deam circumspice: namque reuecta
Nequaquam semper similis lux imbuit ortum:
Sed species diuersa trahit, uarioque notatur
Formarum primi cum surgit luminis ignę,
Tertia cum rutilat, cum maior sideris athram
Scandit, & aerias quarta face luminat oras,
Ingredientis erit plene tibi nuncia mensis.
Hæc castigato si tertia fulserit ortu,
Pura sit, ut fœdis ab sordibus adfore dices,
Clara, serena diu. tenui si rorexerit autem
Si face, & igneo suppinxerit ora rubore,
Turbida certantes conterrent æquora cauri:
Luminis ista dehinc si crassior, atque retusis
Cornibus ingreditur, si quarti sideris ortu
Percussi ut tenuem prætendat corporis umbram,
Imbribus aut zephyris hebetabitur, atque uitro
Flabra noti, aut pluuias. nam crassus desuper aer
Cornua cæca premens, notus uiridis nera cogit.
Tertia si rursum protollat Cynthia currus,
Sic fulgentia faces & acumina terna coruscans,
Vt nec curua quasi declinet cornua, nec tum
Fusa supinatim diducat lumen in auras,
Occiduo zephyrum prædicet surgere mundo,
Aut Libyæ de parte notum. sin quattuor autem
Cynthia curriculis cælum subit, atque coruscis
Cornibus immodice prostantibus efferat ignes,
Vix prolixa salum cient, ocyus omnia cauri
Marmora connoitent, fera uerrent flabra profundum:

Istius

Istius in hoream quod se sustollit acumen:
Si curuum specie uelut annuat, adfore cælo
Sæua procelloso prædicet flabra aquilonis.
Nanque hoc urgeri sese adserit, hocque grauari
Iudice: rursus eo ueniet notus, hanc ubi partem
Pone supinari conspexeris, inque reclinem
Sponte habitum: pandi nam subrigit auster acumen
Inferiore plaga. si Lunam tertius ortus
Proferat, atque dea conuoluat circulus oras,
Suffusus rutilo, mox tempestate sonora
Spumosum late pelagus caneścere cernes.
Maior & hæc rauci uersabit gurgitis undas,
Ipsa quoque immodice si uultum Luna rubescat.
Contemplator item, seu plenum luminis orbem
Cynthia distendit, seu cum teres ambitus olli
Cedit ur, & medio uelut indiga lucis, utrinque
Sustinet obducta sibimet dispendia forma.
Cornua prima replent, & cornua fessa debiscens
Induit, & qualem procedens ore colorem.
Hinc perpende oculis, ipso monitore dierum
Signa tene, ac totum discerne in tempora mensem.
Non unum deprensa diem tibi signa loquuntur,
Nec uulgo in cunctis adsunt præcepta diebus:
Sed qua signa nouo dederit nox tertia motu,
Quartane sustollat medios dum Cynthia uultus,
Durabunt cælo: mediis quæ edixerit ore,
Ignes in plenos: hinc in dispendia rursus
Altera promissa signantur tempora Lunæ.
Illa dehinc donec germani luminis ignis
Accedat Phœbe, mensis postrema notabunt.
Hoc quod protento uehit ingens mundus inane,
Aera nomen habet: quod spirat cespite tellus,

Nubila dicuntur: cælum super aula deorum,
Axea compactum conuoluitur. hic sua certis
Sunt loca numinibus: borealis verticis alta
Regia Saturni: qua siccior annus anhelat,
Æstatis rutilo, calida stat Iuppiter æthra:
Immodicus terram qua desuper ignis aduxit,
Gradiuo incolitur: brumalis pulsus habenas
Qua Solis redigit, pulchro Venus obtinet astro.
Ast vbi demerso latet ater circulus orbe,
Cessit Mercurio locus imbrifer: his super amplas
Quinque tenent Zonas, certo via secta Solis
Limite decurrit, cum Lunam nubila propter,
Exhalantis humi qua spiramenta madescunt
Ima, vehunt cali, luxit dum frustra frequenter,
Desuper in nubes rutilantis lampade Luna.
Pascitur humore, & varias dea lumine formas
Exprimit incerto: sic crebro denique Phœbo
Nubibus ambiri cum subsint nubila, Luna
Creditur, hanc quoties includere circulus ergo
Spectatur, proprio succedunt ordine signa:
Ille alias trino cum voluit tramite Lunam,
Et geminis plerunque meat, solet vnicus idem
Cingere. Si simplex circumuersabitur orbis,
Signa procellarum certissima, signa sereni
Præferet: abruptus subito prænunciat euros:
Marcescens tenui sensim caligine, & æthra
Digestus patula, docet vndis adfore pacem.
Si duo se Luna circumfudere, repente
Maxima vis pontum, vis verret maxima terras.
Maioresque dehinc agitabunt stagna procellæ.
Si trinus rutilum construxerit ambitus orbem,
Et magis immodica formidine sæuet auster,

Zonarum

Zonarum teter fuerit si tractus in æthra,
Denique disrumpant si sese cingula Lunæ,
Vltima tempestas ruet imi gurgitis æstus.

SOLIS quinetiam, Solis tibi cura videndi
Sit potior, Solem melius præuisa sequuntur,
Astrorumque duci monstrata tenacius hærent:
Siue ille occiduas vergat declinis in vndas,
Seu se luciferis reparabilis exerat oris.
Istius ingentes radij, caliginis atrum,
Et nebulosarum tractus piceos tenebrarum
Lumine dispiciunt, cum per chaos vmbriferum vis
Flammea peruasit, cum semper noctis amictu
Inserit aëriæ fulgor fucis: ille calorq;
Pigra monet, simulac rutilis torpentia flammis
Sol sopita animet, Sol dura obstacula primus
Curru adamanteo referat pater, effluat Phœbus
Igne inhibet, Phœbus radiis densata relaxat.
At cum flammigeri cedit vis inclita Solis
Lucis egens, crassæque deus latet obice nubis,
Et cælo & pelago magnos ait adfore motus.
Non hic cum primos educet gurgite vultus,
Ceu picturato diuersos ore colores,
Proferat: haud etenim tali tibi Sole renecto,
Matia iam cæli fas exspectare serena.
Et si tranquillo conuexa cucurrerit austro,
Indideritque facem ponto deus integer, atra
Nube carens, purusque coma, & splendidus orbe,
Conuenit eoa faciem præsumere lucis.
Sed non ora cauo similis medioque recedens
Orbe, quasi vel si radios discingitur vltro,
Figat vt australem porrecto sidere partem,
Aut borea rigidi iaculetur luminis igne,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et vento & pluuiis reparata in luce carebit.
DENIQVE per flammas procul atque incendia, Solis
Ipsa dei ceaunt blandi si lumina, soleis
Tende oculos, certa hoc ducentur signa magistro.
Et ne sanguineus late rubor induat ora,
Qualia protracto vaga nubila sæpe rubescunt:
Aut ne labenti piceus color abdat amictu
Lampada, quæ circa, si tetro crassior orbe est,
Vuescet pluuius tellus, inflataque celsas
Aggere demicto superabunt flumina ripas.
Ignea si fulgor præcurrit plurimus ora,
Flamina crebra salis quatient vada, flumina terras
Conuerrent omnes, & diri flabra aquilonis,
Siluarumque comas, & celsa cacumina flectent.
Vis simul amborum si vultum Solis oberret,
Cincta nota quatient, imbres procul arma vigabunt.
ECCE alias primo nascentis Solis in ortu,
Vel cum præcipites pelago deus inserit ignes,
Vt cocunt radij nebulosi: cætera quippe
Pars Hyperioniæ rutilat facis, hicque comarum
Vis confusa micans mundo sua lumina præstat:
Hic globus ater item lucentia nubila cogit,
Nonnunquam crasso nubilarum tectus amictu,
In connexa redit, tum cælo rursus aperto
Cum ruit, oppositu vultum caligine condit:
Omnibus his signis in terram desunt imber
Plurimus. Interdum tenuis prauertere nubes
Visa deum: hæc celeris si præsurrexerit ortum,
Ipseque pone sequens radiorum luce carebit,
Cernatur, nimbis ingentibus arua madebunt.
At matutini si Phœbum in littoris acta
Maiorem solito produxerit, atque per æthram

Marcenti

Marcenti similis destuxerit extimus orbis,
Alta dehinc scandens minuat iubar igniferum Sol,
Pura serena aderunt: nanque olli gurgitis aer
Crassior in modicum surgens diffuderat orbem.
Et iam si tenero sublollens tramite cali
Oblitum iusti iubar attrahit, hic quoque magnis
Cum madefacta die sub tempestatibus horret
Pallidus hora cadens promittet pura serena:
Displosis etenim per apertam nubibus æthram
Ora laboranti similis languentia pallet:
Et diuersarum moles late nebularum
Iudicat ecuti faciem clarescere mundi.
Quin nascente die ventosos conuenit imbres
Noscere, cum proni procul ad consinia cali
Deferri piceo spectare e nubila tractu.
Et cum declinant radij se partem in vtranque,
Lucis in occasu, nox vt ferat algida rores,
Imber erit. Puras si Phœbus condit habenas,
Et Calpetano tranquillum gurgite lumen
Tingat, ac in lapsu nubes ignita sequatur,
Noxque diesque dehinc venturi rursus eoi
Nimborum expertes & tempestatibus atris
Durabunt. Sed cum radiis marcentibus ardor
Languet, & in tenui tenduntur acumine frustra
Phœbei crines, nimbos aget atra procella.
Talis & obducti cernetur forma dei,
Qualem fraternos subtexens Luna iugales
Lucem hebetat: subiit hæc superi sacra lumina Solis
Inferior, mediaque inter stans lampadis orbe,
Arcet flammigeram radium facis: aut ubi rursum
Cum matutinos moliur lucifer ortus,
Ebria sanguineis subuoluant vellera nubes.

Nanque grauis cælo fundetur protinus imber.
Nec si Sole procul rutila inter stagna morante
Emineant radij, radios quoque crassior umbra
Contegat, ille dies pluuijs ventoque carebit.
Quin erit imber item, si Solem circulus ater
Ambiat exortum: maior se denique nimbus
Vrgebit cælo, maior sola perluet imber:
Circumfusa adeo si cingula nescia solui
Seruarent tetræ speciem torpentia molis.
Sæpe etiam Phœbo nubes percussa rubescit,
Et meditata dei formam, procul igne recepto
Concipit effigiem, simulato luminis orbe.
Id qua parte poli spectaueris, adfore ab ipsa
Parte tene ventos: tamen hæc tamen omnia semper
Decedente die melius uentura docebunt.
Conuenit hic etiam paruum Præsepe notare:
Id nubi nomen, qua Cancro obuoluitur alto:
Græcia docta dedit: duo propter denique Asellos
Suspice, quorum alius Septem vicina trioni
Astra adolet, tepidum procul alter spectat in austrum.
In medio quod nube quasi concrescit adacta,
Id Præsepe vocant. porro hoc Præsepe repente
Si sese ex oculis procul auferet, ardeat autem
Congruus aëris late rubor ignis Asellis,
Nequaquam tenues agitabunt stagna procellæ:
At si sideribus similis lux duret, & illi
Tetra sit effigies, cadet altius nubibus imber
Leuior, & parco mox tellus rore madebit:
Sed boreæ si parte trucis velut indiga iustæ
Stella micis, lento marcescere cernitur igne,
Et procul alterius iubalate flagrat Asselli,
Protinus Æthiopum surget conuallibus auster:

At

At regione noti si lucem stella senescat,
Signis Riphæis aquilo crepitabit ab oris.
Quin & terrenis cape rebus certa frequenter
Signa procellarum: nam cum traxere tumorem
Æquora prolixum, cum littora curua resultant
Sponte procul, neque cæruleus colliditur æstus:
Aut cum proceris vertex in montibus vltro
Perstrepit aërium, ventos instare docebunt.
Et cum parua fulix trepido petit arua volatu,
Stagna sinens, longaque iterat clangore querelas,
Indicat insanis freta mox canescere ventis.
Denique cum cælo tenduntur pura serena,
Sanitura polo sunt flamina, primus in ipsa
Mox picturati conuerrit pectoris artus
Sturnus edax, premat vt tenues vis obuia plumas,
Et ne post tergum pateat penetrabilis euro.
Latipedemque anatem cernes excedere ponto
Sæpius, & summa nebulam se tendere rupe:
Iamque super latices florum volitare senectam,
Stellarumque comas rumpi procul æthere celso,
Decidere in terras, rutilarum spargere crines
Flammarum, & longos a tergo ducere tractus:
Inde etiam ventos mox adfore præmonet vsus.
Quod si diuersis se passim partibus ignes
Excutiant, verret pelagus sine fine modoque
Turba procellarum, si duri limite ab euri,
Si regione noti, si lenis parte fauoni,
Aut de Bistonio mundi procul axe coruscat.
Si repetunt veterem rana per stagna querelam,
Vellera si cælo volitent, si discolor iris
Demittat gemino se fornice, circulus album
Si stellam teter velut ambiat, æquora propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si crepitent volucres, si gurgite sepius alto
Pectora mersentur, si crebro garrula hirundo
Stagna adeat, rutila cum sint primordia lucis:
Si matutinas vlula dant carmine voces,
Improba si cornix caput altis inserit vndis,
Flumine terga rigans, si semi gutture rauco,
Plurimus abruptis fundetur nubibus imber.
IMBER erit, totis cum bucula naribus auras
Concipit: & late pluuiis sola cuncta madebunt,
Cum proprias solers sedes formica relinquens,
Ova cauis offert penetralibus; aspera quippe
Tempestas, gelidusque dies, & frigidus æther,
Inserit internis terrarum redditus æstus,
Pectora cum curuo purgat gallinula rostro.
AGMINE cum denso circumuolitare videtur
Graculus, & tenui cum stridunt gutture corui,
Cum procera salum repetit clangore frequenti
Ardea: cum paruæ defigunt spicula muscæ,
Et si nocturnis ardentibus vndique testis,
Concrescunt fungi, si flammis emicet ignis
Effluus, aut lucis substantia langueat vltro,
Conuenit instantes prænoscere protinus imbres:
Denique cum patulum torrens Vulcanus ahenum,
Scintillas flamma circumlabente reliquit.
SI notus humentis Libyco trahit æthere nubes,
Si nimium ad montem nebularum crassus amictus
Tendatur, summo nudentur vertice saxa:
Et qua pontus item freta per distenta quiescit,
Nubila si longo se procumbentia tractu
Diffundunt cælo, & Thetidi terrisque supinis
Pax aderit, nusquam mundo ruet effluus imber.
SED cum tranquillo tenduntur crassa serena

Sub

Sub Ioue, ventura prænoscere signa procellæ
Conuenit: & rursum cum perfrixit aeris horror,
Aspice quam referant terris pelagoque quietem.
Inter prima tamen paruum Præsepe notatur,
Arduus excelso quod Cancer cardine voluit.
Hoc cum concretus tenuari cœperit aer,
Discutit impositæ late sibi molis amictum.
Nanque serenisseri patet hoc in fiabra aquilonis,
Cum minus, aut primo purgatur flamine venti
Tempore, tum propior modulatur noctua carmen,
Tum vespertinum cornix longæua resultat,
Tum corui crepitant, & ouantia gutture rauco
Agmina crebra vocant, tum nota cubilia lati
Succedunt pariter, tum pennis corpora plaudunt.
TVNC & Strymonias circumuolitare repente
Suspicies per aperta grues, vbi mitior annus
Sponte procellosum disiecerit aera calt.
Tunc quoque cum stellis hebes est lux omnibus vltro,
Nubila nec crassos circunduxere meatus,
Vrubar occulerent flagrantibus obuia flammis:
Nec caligo inhibet rutilantis lampados ignes,
Orbe nec expleto sacra sidera Luna recondit:
Sed iam sponte sua stellarum lumina marcent,
Conuenit hiberna prænoscere signa procellæ.
Nubila si cælo consistere, nubila ferri,
Si qua superfundi sibimet suspexeris vltro:
Gramina si carpit semesa petacius anser:
SI nocturna tibi cornix canit, hesperus athra
Cum redit, innumero si cantu graculus instat,
Si matutino fringilla resultat ab ore,
Si fugiunt volucres raptim freta turbida Nerei,
Orchilos infestus si floricomis hymenæis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ima petit, terræ si denique paruus eritheus
Succedit trepida scruposa concaua rupi,
Cecropias si pastus apis vicinus ad ipsa
Castra inhibet, florumque simul libamina mœsta
Proxima decerpunt: si Threicia per aperta
Sponte grues trepidant, nec sese audacius æthra
Committunt, pinnis vt longos sæpe volatus
Formauere super: si soluit aranea casses,
Tenuia si toto vehit auster licia cælo,
Mox tempestates, & nubila tetra cientur.

QVID? maiora canam: cinis, cinis ipse repente
Cum coit, albenti nix terras vestit amictu,
Nix operit terras, rutilis vbi lumina prunis
Summa rubent, errantque breui caligine crassa
Interius nebula, & denso iam fomes in igne
Marcescit penitus, pluuios mox arguet austros.

INDVIT immodicis cum semet floribus ilex:
(Indigna namsucci ligno natura rigenti est)
Et cum flore nouo, cum brachia glande grauantur
Vuentis cali sub nutrimenta latenter
Sponte operata docet. quin & lentiscus amara,
Indicium est pluuiis: ter fœtum concipit arbos,
Terque nouos genitrix fructus alit: ipsaque trino
Flore renidescens tria tempora prodit arandi.
Ter prorumpentis scilla teres erigitur flos,
Sulcandique solum ter monstrat tempus adesse.

SIC & crabronum rauca agmina, si volitare
Fine sub autumni conspexeris æthere longo,
Iam vespertinus primo cum commouet ortus
Vergilias pelago, dices instare procellas.
Sique sues lenta, si lanæ sedula nutrix,
Si capra dumosis errans in saltibus, vltro

In Venerem pergat: quippe ollis vuidus aër
Excitat internum per viscera mota furorem:
Et tempestates & nubila protinus atra
Adfore præcipies: quin & gaudebit arator,
Quique solum iustis versabit mensibus anni,
Plebe gruum prima: gaudebit tardus arator
Agmine pigrarum: sic quadam lege deorum
His comes est imber. Pecudes si denique terram
Lanigeræ fodiant, caput aut tendatur in arcton,
Cum madidus per marmora turbida condit
Pleiadas occasus, cum bruma in frigora cedit
Frugifer autumnus, ruet æthra concitus imber.
At ne perruptis terrarum dorsa lacunis
Infodiant pecudes: si vasto viscera hiatu
Discutiant terræ, veniet vis æthere toto
Dira procellarum, nix omnes vestiet agros,
Nix herbas ladet teneras, nix vret aristas.
At si contigerit plures ardere cometas,
Inualidas segetes torrebit siccior aër.
Nam quæ prorumpunt naturæ legibus vltro
Spiramenta soli, si iustius defiat humor,
Arida per cælum surgentia desuper æthræ
Igescunt flammis, mundique impulsa calore
Excutiunt stellas, & crebro crine rubescunt.
CONTEMPLATOR item, si longo plurima ponto
Agmina festinant volucrum, solidamque frequentes
Succedunt terram, sterilis desaniet æstus,
Aestitient agri: nam qua circumflua tellus
Adluitur pelago, coquit altam siccior aër
Cespitis arentis ventis, citiusque calorem
Sentit humus sic cincta salo: fuga protinus ergo
Est animum in terras: pauet hos vt viderit æstus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Agricola, & ficco iam deflet mergite culmos.
Sed si tum modico producant agmina ab vndis,
Nec trepido passim versant connexa volatu,
Lætitia est duris pastoribus, adsore parcos
Præsumunt imbres: sic in contraria semper
Vota homines agimur, nostrique cupidine fructus
Poscimus alterius dispendia: denique & ipsa
Solers natura, & rerum genitabilis ordo,
Certa suis studiis adfixit signa futuri.

NANQVE & ouis cupido si gramina tondeat ore
Insatura cibi, decerpens latius agros,
Pastor id in lucum pluuialis frigoris edet.
Et si persultans aries lasciuus herbas
Adpetit, aut sese sustollant saltibus hœdi:
Vel si inge gregi cupiant hærere, nec vsquam,
Matribus abscedant, & sistne fine modoque
Pabula delibent, cum tutas vesper ad
Compellat caulas, monstrabunt adsore nimbos:

BVBVS arator item trahit atras signa procellæ,
Lambere si lingua prima hos vestigia forte
Viderit, aut dextrum prosternere corpus in armum.
Vel si proluxis atras mugitibus implent,
Pascua linquentes vix vespere. dat capra moti
Rursum signa poli, cum spinis ilicis atræ
Multa nihiat. docet hæc eadem sus horrida, cœno
Gurgitis illuuie si sæpius inuoluatur.

MARTIVS ipse lupus villarũ proxima obeuans,
Affectatsque locos hominum, lectumque laremque
Sponte petens, crasso consurgere nubila cælo
Præmonet. Id parui cum stringunt denique nimbi,
Cum gestire solo, cum ludere sorte videntur:
Portendit tibimet canis id præsentia multam

Tellu-

Tellurem fodiens, tamen hæc tamen omnia rerum
Adsore vel primo nimbos mox sole docebunt,
Vel cum curriculis lux ibit cepta secundis,
Tertius aut verso cum venerit ortus Olympo.

NON spernenda tibi sint talia, sed memor vni
Adde aliud semper: si tertia denique signa
Prouenient, firmo venturum pectore fare:
Et transactorum solers componere mensum
Signa laborabis, si sic fluxere reperta,
Nequaquam trepidare pudor persuadeat vllos
Astrorum lapsus, astrorum protinus ortus
Discute, si casus similes & stella per æthram
Prodidit: exacti iam summa crepuscula mensis,
Et surgentis item primordia conscius artus
Fare sacra. mensum confinia summa dierum
Cæca latent: inces hæc semper semet in octo
Insecta lunaris tendunt sacis: ipse fideli
Perquires studio: & si quid tibi forte repertum,
Pluribus indicijs solers fulcire memento.

ARATI PHÆNOMENA PER GERMANICVM CÆSAREM IN LATINVM CONuerſa, & in eadem Commentaria.

CÆLVM Circulis quinque distinguitur, quorum duo extremi maxime frigidi: Australis humillimus, & Aquilonius excelsissimus. His vtrinque proximi duo, Paralleli vocantur, vt ita dixerim, æque distãtes: ideo Tropicus vnus Solstitialis, alter Hibernus, per quem sol transiens ac tenens octauam partem Capricorni, solstitium hibernum facit: alter Æstiuus, per quem sol transiens ac tenens octauam partem Cancri, solstitium æstiuum facit. Medius est Æquinoctialis, qui octauam partem Arietis tenens, æquinoctium vernum facit: octaua Libræ, autumnale constituit. Vt Circuli in cælo, ita Zonæ in terra vocantur. Inhabitabiles frigidi circuli sunt, ob rigorem, quod ab his longissime sol abest: sub torrido quidam habitare putant Æthiopiæ maximam partem: item plurimas insulas Maris rubri, aliosque vertices eminentiasque terrarum nostris ampliores, sub Tropicis habitare nulli dubium est.

Noster Solstitialis Æstiuus est excelsus atque arduus. Diuisi autem sunt a nobis circulo Æquinoctiali, qui Antichthones nominantur, & videntur humiles atque depressi, qui Antipodes infra sunt: quod vt esse videatur, efficiunt flexus obliquitatesque terrarum, quas Antichthones & Antistochæ & Ay.tisceptæ inhabitare

habitare dicuntur. Incipit autem Signifer, non ab extremo circulo, nec ad extremum extenditur: sed ab intimo Tropico australi, brumalique eodem, per Æquinoctialem ad summum solstitialem, eundemque æstiualem per medium (in his longitudo latitudoque) porrectus. Obliquæ circuli Signiferi partes, cccLxv. signa xij. partium singula tricenarum, quorum quædam minora, quædam ampliora, & populo Canophora dicuntur: sed compensatio quinque partibus creditur applicari, vt sint omnes Signiferi partes, cccLxv. Horum incipientia ab Ariete, alia sunt masculorum naturalibus, alia fœminarum. Item quartum quoque eorum, aut tropicum, aut solidum, aut deforme. Incipiet dinumeratio ab Ariete. Signa tropicorum duo sunt æquinoctialia, Aries & Libra: duo solstitialia, Capricornus & Cancer. Tropicis maxima solida anteposita, his deformia.

HIC est stellarum ordo, vtrorumque circulorum: Septentriones duplices ad austrum vertuntur, figura auersis caudis inuicem sibi aduersantes: inter quas obliquus dilabitur Draco. Sub vnius nanque pede est Serpentarius, cuius Serpentarij pedes attingunt frontẽ Scorpionis. A latere autem retro stat Custos: sub pedibus quidem eius Virgo, habens igneam in manibus spicam: retrorsus vero, vestigiis eius adiacens Leo, medio æstiuo solstitio Cancer & Gemini. Genua autem Agitatoris caput Gemini attingunt: pedes autem eius Tauri

Universidad de Deusto
Biblioteca

cornibus iunguntur, cuius Hœduli desuper obtinent locum Septentrionis. Habet autem Septentrio a dextris iuxta Coronam desuper, serpentem in manibus Serpentarij, & eum qui in Geniculo stat, & sinistro pede septentrionalis Draconis verticem calcans: vnum brachium Libræ, alterum dans Coronæ. nam ad minoris Septentrionis, vltimus pes Cephei continetur, Cycnum manu dextra apprehendens: super cuius alas Equus extendit pedem, & super equũ Aquarius extollitur, iuxta quem Capricornus est. sub Aquarij pedibus Piscis magnus australis. constituta ante Cepheum Cassiepeia: & a dorso Agitatoris Perseus pedem extendit: super Persei caput Cassiepeia pedibus properare videtur. Inter Cycnum igitur & eum qui in Geniculo stat, Lyra constituitur. In quorum medio desuper ab oriente Delphinus cognoscitur: sub cuius cauda est Aquila, in proximo habens Serpentarium. Sed iam de aquilonio circulo dictum est. nunc ad australem ordinem properemus.

Svb aculeo Scorpionis, Sacrarium constitutum est: sub corpore eius anteriora Centauri videntur, in quo est bestia. Conspicitur & Sagittarij pes summus ex alia parte sub australi circulo, prope Centauri membra, Hydræ cauda, & Coruus: ad genua Virginis, vrna est posita: a sinistris Orionis, qui & Incola, Fluuius, qui & Padus, necnon & Eridanus: sub pedibus Orionis, Lepus splendida effigie conspicitur. retrorsum vero a pedibus eius, Canis splendida

dida refulget: post cuius caudam Nauis constituta est: ad Tauri pedem protendit manum Orion, pedibus Gemini appropinquant: Anticanis super caput Arietis non longe ab Andromedæ pedibus, Triangulus positus est: sub Ariete & Piscibus Cetus, connexio vero Piscium communem habet stellam.

ARATI PHAENOMENA.

AB Ioue principium magno deduxit Aratus
Carmine: at nobis genitor tu maximus auctor:
Te veneror, tibi sacra fero, doctique laboris
Primitias. Probat ipse deum rectorque satorque,
Quantum etenim possint anni certissima signa,
Qua Sol ardentem Cancrum rapidissimus ambit,
Diuersitque secat metas gelidi Capricorni:
Quaue Aries & Libra æquant diuortia lucis:
Si non parta quies te præside, puppibus æquor,
Cultorique daret terras, procul arua silerent.
Nunc vocat audaces in cælum tollere vultus,
Sideraque & varios cæli cognoscere motus:
Nauita quid caueat, quid vitet doctus arator,
Quando ratem ventis, aut credat semina terris.
Hæc ego dum latis cogor prædicere musis,
Pax tua tuque adsis nato, numenque secundes.

Qværitvr cur a Ioue incepit, & non a musis, vt Homerus? Conueniẽs magis hoc existimauit principium Phænomenis, vti Iouem inuocaret, quod ipsorum carminum origo est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iupiter. non ſolus autem ita cœpiſſe videtur Aratus, ſed & Crates comicus, a Veſta incipiens & profari carmina: Sophron in mimo, qui nuncius inſcribitur, a Veſta incipiens: Omnes inuocant Iouem omnium principem. Sed quæritur cuius Iouis meminerit, vtrumne fabuloſi, an naturalis? Et philoſophi quidem plurimi, naturalis aiunt eum Iouis meminiſſe. Sed Crates ait Iouem dictum cælum: inuocatum vero merito, quia in aëre & æthere ſunt ſidera: & Homerum dixiſſe Iouem in aliqua parte, cælũ: & ipſe Aratus, quũ dicit Herodotus Iouem dictum aërã, & Crates quidem eiusdẽ eſt opinionis, teſtemque eſſe Philonem comicum dicit. hoc autem cõſtat & ipſum dicere. Nam quia nihil aliud eſt Vox, quam percuſſus aër, videtur conuenienter dixiſſe, quæ rei præſtent auctoritatẽ, plenas Ioue vias referens, & omneis hominum conuentus. Nihil eorum quæ in terra ſunt, ſine aëre eſt: ratione etiã, cuius omnes vſum deſideramus. nam cuncti mortales oſtendunt vſum ſuſpirio: & cum viuimus, aëre indigemus. At quod ait, Dextra monſtrat, ad auguria pertinet auiũ: propter quod & Stoici Iouem eſſe affirmant, qui per materiam manat ſpiritus, & ſimilis eſt noſtræ animæ. Zenodotus autem Ætolus & Diodorus aiunt, nec ad fabuloſi Iouis ſufficere eiusmodi opinionem: eſſe enim talem cauſam Iouis, & conuenire omnes vias eo confertas, quas tanquam loco eius deſcribit. Dicendo autem, Etiam genus, oſtendit animæ immortalitatem. bene propterea quod ait: nouerat enim virtuti aliquid

aliquid æmulum futurum. Dei igitur aduerſus delicta lenem eſſe, proprium eſt; quoniam omnium parens affirmatur, & non ſolum hominum, ſed etiam deorum.

Cætera quæ toto fulgent vaga ſidera mundo,
Indefeſſa trahit proprio cum pondere cælum:
Axis at immotus ſemper veſtigia ſeruat,
Librataque tenet terras, & cardine firmo
Orbem agit extremum. Geminus determinat axem,
Quem Graij dixere polon: pars merſa ſub vndas
Oceani, pars celſa ſub horriſero aquilone.
Axem Cretæa dextra læuaque tuentur,
Sine Arcti, ſeu Romani cognominis Vrſæ,
Plauſtrum ve: & facies ſtellarum eſt proxima vero,
Tres temone rotisque micant, ſublime quaternæ:
Si melius dixiſſe feras, obuerſa refulgent
Ora feris, caput alterius ſuper horrida terga
Alterius lucet: pronas rapit orbis, in ipſos
Decliueis humeros. veteris ſi gratia formæ,
Creſſia vos tellus aluit, moderator olympi
Donauit cælo: meritum cuſtodia fecit:
Quod fidæ comites primæ incunabula magni
Viderunt Iouis, attonitæ cum fiarta parentis
Ærea pulſantes mendaci cymbala dextra,
Vagitus pueri patrias ne tangeret aures,
Dictæi exercent dominæ famuli Corybantes.
Hinc Iouis altrices, Helice Cynoſuraque fulgent.
Dat Graiis Helice curſus maioribus aſtris,
Phœnicæ Cynoſura regit. ſed candida tota,
Et liquido ſplendore Helice nitet, haud prius vlla,
Cum ſol Oceano fulgentia condidit ora,
Stella micat cælo, ſeptem quæ Creſſia flammis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Certior est Cynosura tamen sulcantibus æquor:
Quippe breuis totam fido se cardine vertit,
Sidoniamque ratem nunquam spectata fefellit.
Has inter medias, abrupti fluminis instar,
Immanis serpens sinuosa volumina torquet
Hinc atque hinc, superatque illas mirabile monstrum.
Cauda Helicen superat, tendit simul ad Cynosuram.
Squammigero lapsu qua desinit vltima cauda,
Hac caput est Helices, flexu comprenditur alto
Serpentis: Cynosuræ ille explicat amplius orbes,
Sublatusque retro maiorem respicit Arcton.
Ardent ingentes oculi, cauta tempora claris
Ornantur flammis, mento sedet vnicus ignis,
Tempus dexterius quæ signat stella Draconis,
Quæque sedet mento: lucet nouissima cauda,
Extremumque Helices fidus micat, ac radiatur
Serpentis declive caput, quæ proxima signa
Occasu ortuque vno tangentur ab orbe,
Oceani tumidis ignota fluctibus Arcti,
Semper in occiduas seruantes ignibus axem.

VERTICES extremos circa quos Sphæra cæli voluitur, Polos Græci nuncupauerunt, c quibus vnus est australis, qui terræ obiectus a nobis nũquam videtur: alter autẽ septentrionalis, qui boreus vocatur, & nunquam occidit.

DVÆ sunt Arcti, quarum maiorem vocant, Helicen: minorem, Canis caudam. Alterutra quidem horum capita deorsum, alterutra sursum aspiciunt. Altera nanque Helice est, quæ apparet prima noctis: altera, pusilla quidem, sed a nauigantibus obseruatur. maria enim conturbat. Helicen autem dicit Hesiodus Callisto

Callisto Lycaonis regis filiam fuisse, & in Arcadia solitam cum Diana venari, & in montibus vagari, & a Ioue compressam, rem celasse Dianæ. Quam grauidam, nudam se lauantem cum aspexisset Diana in lauacro, partum eius accelerans, bestiam eam esse iussit: & dum esset vrsa, Arctum enixa est, quem Arcadem vocant. Amphis autem comicus poeta refert Iouem in Dianæ effigiem transfiguratũ in venatione Callisto oppressisse: tempore partus plena cum vexaretur, Dianæ culpam indicasse, & iratam Dianam in vrsam transfiguraſſe. Quæ dum in montibus vagaretur, a quibusdam pastoribus apprehensa, cum puero perducta est ad Lycaonem: post tempus in Lycæi Iouis templũ confugientem, cum eam Arcas filius sequeretur, quo eam nefas erat intrare, ab Arcadibus vtrique interfecti sunt. Iupiter autem vtrosque cæli astris intulit. Vrsamque eam nominauit. Ouidius a Iunone in bestiam conuersam scribit. Habet autem stellas, in capite septem, in singulis humeris singulas obscuras, in armo duas, in pectore vnam, in pede priore claras duas, in summa cauda claram vnam, in ventre claram vnam, in spina vnam, in crure posteriore duas, in extremo pede duas, super caudam tres: fiũt omnes xxiiij. Porro Arctus minor a pluribus Phœnice, a Græcis Arctophylax, a nonnullis Canis cauda vocatur. Quam Sidones aspicientes continuo nauigant. Dicitur a Ioue inter astra collocatus, vt duplex honor Helices monstraretur. Agathothenes quidem in Asiaticis carminibus, Cyno-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuram dicit Iouis fuiſſe nutricem, vnam ex Idęis nymphis, a qua in Cretæ oppido Hyſtoe Nicoſtratus conſtituit portus, & circa eum locum Cynoſuram fuiſſe, cum Telchiniis qui dicuntur Curetes Idæi. Aratus Cynoſuram & Helicen Cretenſes Iouis nutrices fuiſſe dicit, ob quod ſunt cæleſti donatæ honore.

Habet autem ſtellas, in humero ſplendidam vnam, in pectore claram vnam. in ventre claram vnam, ſuper caudā claras tres: fiunt omnes ſeptem, ſupra alias decem, quæ præcedunt & dicuntur ludentes: & maxime altera quæ vocatur Polus, in quo a quibusdam putatur totus orbis circumuerti.

INTER ambas ergo Arctos, maximus flexuoſo corpore adiacens Draco, qui vtranque Arcton flexuoſo corpore ſemicingit, Helices ſuperuoluit caput, Phœnices circūcingit caudam. Hunc Pherecydes dicit inter aſtra collocatum beneficio Iunonis, eo quod cum haberet Ioui Iuno, diis offerentibus munera, Terra quoque obtulerit aurea mala cū ramis: quæ Iuno in hortum ſuum, qui erat apud Atlantem, inferri iuſſit, & Heſperides Atlantis filias cuſtodes poſuit, quæ cum a filiabus Atlantis ſubtraherentur & ſępe vexarentur, Iuno cuſtodē horti Draconem peruigilē implicuit arbori, quem Hercules interfecit, & illa aſtris intulit. Hunc alij Iouem aſtris intuliſſe dicunt, ob memoriam virtutis Herculis, Mineruæ obiectu; quem illa contortum cælo immiſit, & inter Septētriones locauit: Habet autem ſtellas, in capite ſplēdidas tres

tres in corpore vero vſque ad caudam, XII. ab inuicem diſtantes. Sunt autem omnes XV.

DRACO.

Haud procul effigies inde eſt defeſſa labore,
Non illi nomen, non magni cauſa laboris:
Dextro namque genu nixus, diuerſaque tendens
Brachia, ſupplicitер paſſis ad numina palmis,
Serpentis capiti figit veſtigia ſæua.

DRACONEM immenſæ magnitudinis, hortorum cuſtodem inſomnem, dum a Iunone ad cuſtodienda aurea mala eſſet conſtitutus, Hercules, cum ad mala aurea profectus fuiſſet, vt refert Panyaſis Heraclea, fertur peremiſſe: & iccirco inter aſtra a Ioue hunc laborem memoria dignum honoraſſe, & vtrosque ſideribus intuliſſe, ira vt in certamine fuerint eorum habitus, ſerpentis capite iam defecto. qui ideo in genu ſtans, manibus ſurſum extenſis, dextro pede contra draconem porrecto pingitur, vt certaminis labor ſignificetur. Ideo pellem leonis in ſiniſtra manu habere fingitur, vt inſigne virtutis monſtretur, quia leonem inermis interfeciſſe narratur. Habet autem ſtellas, in capite vnam, in ſingulis humeris ſingulas ſplendidas, in ſiniſtro cubito vnam, in eadem manu vnam, in eodem brachio vnam, in ſiniſtro femore vnam, in dextra parte femoris duas, in coxa duas, in genu dextro vnam, in eadem tibia vnam, in crure duas, in eodem pede vnam, in dextra manu vnam, in claua quam eadem tenet manu, vnam, in leonina pelle quatuor. Sunt omnes vigintiquatuor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CORONA.

CLARA *Ariadnæ propius stant signa Corona.*
Hunc illi Bacchus thalami memor addit honorem.

HÆC corona dicitur esse Ariadnes, quã Liber astris intulisse dicitur, dum eius nuptias dij in insula Creta celebrarent, cogitãs præclaram facere, pro qua primũ noua nupta coronata est. Sed qui Cretica conscripsit, refert, quia cum Liber ad Minoem regem veniſſet, vt Ariadnen filiam eius duceret vxorem, coronam dono Ariadnæ dediſſe Vulcani opere factam ex auro & gẽmis preciosis, & talis fulgoris fuit, vt Theseã ex Labyrintho liberaret, quæ post astris affixa est, cum in Naxon vtrique veniſſent. Signum amoris eius crines ostendunt. & est stellis fulgentibus sub cauda Leonis. Habet autem stellas nouem in circuitu positas, quarum tres sunt splendidæ.

OPHIVCHVS.

TERGA *nitens stellis, a quo se vertice tollit,*
Succiduis genibus lapsum & miserabile monstrum.
Hic Ophiuchus erit, longe caput ante intendo,
Et vastos humeros, tum cætera membra sequuntur.
Illis languet honor humeris, manus integer ardor.
Luna etiam mensem cum pleno diuidit orbe,
Lux tenuis manibus, per quas elabitur Anguis
Pressus vtraque manu, medium cingens Ophiuchum.
Scorpius ima pedum tangit, sed planta sinistra
In tergo residet, vestigia dextera pendent.
Est impar manibus pondus, nam dextera partem
Partem anguis retinet: per læuam attollitur omnis:
Quantumque a læua distantia Serta notantur, Exi-

Exigitur tantum Serpens, atque vltima mento
Stella sub aetherea licet erigatur corona,
Ad quam si dorso peruadit lubricus Anguis,
Infignes cælum perfindunt lumine Chelæ.

HIC est Serpẽtarius qui super Scorpionem stat, tenens vtraque manu serpentem, qui ab astrologis dicitur fuisse Æsculapius filius Apollinis, qui cum medicinę arte vteretur, mortuos fertur suscitasse. Quamobrem iratus in eum Iouis, domum eius cum ipso fulminis ictu percussit. Rogatu autem Apollinis patris, Iupiter ei arte sua rursus post obitum defuncto animam restituisse ad vitam, & inter astra constituisse putatur. Habet autem stellas, in capite claram vnam, in singulis humeris claras singulas, in sinistra manu tres, in dextra quatuor, & duas ex eis claras: in singulis lumbis singulas, in singulis genibus singulas, in dextra tibia clarã vnam, in singulis pedibus singulas claras. sunt omnes xvii.

SERPENS quem tenet in manibus, habet stellas in orificio duas, in flexura capitis spissas quatuor, in manu Ophiuchi duas claras, in prima flexura octo, in secunda, quam tenet in dextra manu, alias octo, in tertia vsque ad caudam lex. fiunt omnes stellæ serpentis triginta.

SCORPIVS.

SCORPIVS sane inter astra a Ioue illatus est, pro eo quod ferũt ex terra ortum, summissumque qui Oriona interficeret, ob eius loquacitatem, quod ex venatione nullam se feram relinquere diceret: isque Oriona percussit & occi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dit, & inde a Ioue astris illatus est, vt eius naturam futuri homines intelligerent. Nigidius autem dicit Scorpionem ad perniciem Orionis in insula Chio in monte Chelippio ortum, voluntate atque ope Dianæ. Nam cum in monte Celsionio venaretur, irridens Dianam, contemnebat eius opera quæ in monte constituebat. Itaque Diana dicitur misisse Scorpionẽ qui Orionem vita priuaret: postea ab Ioue impetrasse, vt Scorpio in duodecim signorum memoria constitueretur. Hic ob magnitudinem in duo domicilia partitur. etenim ad aliud tendunt brachia eius, ad aliud corpus & cauda & aculeus. Habet autem stellas in vno quoque cornu duas, in ore vnam claram, in fronte duas, in dorso claras tres, in ventre duas, in cauda quinque, in aculeo duas. sunt omnes XIX. ex his quatuor quæ sunt in Cornibus eius, duæ priores claræ, & duæ obscuræ Libræ, assignantur, quam Chelas Græci dicunt.

ARCTOPHYLAX.

INDE Helicem sequitur senior, baculoque minatus
Se velle Arctophylax, brachiorum munera cæcus
Icarus, ereptam pensant munere ripam.
Non illi obscurum caput est, non tristia membra:
Sed proprio tamen vna micat sub nomine flamma,
Arcturum dixere, sinus qua vincula nodant.

BOOTES, qui & Arcturus, fertur esse custos Plaustri, eo quod Plaustrum sequitur, id est Septentriones, & quasi succinctus sit Septentrionibus. Hunc dicunt Arcadem Iouis filium esse, de cuius post nomine Arcadia dicta est, quem Ly-

Lycaon Pelasgi filius, cum Iouem hospitio recepisset, infantem membratim lacerauit, & Ioui in epulis apposuit, tentans Iouem, vtrũ deus esset. Iouis autem dicitur domum Lycaonis fulmine incendisse, eoque loco ciuitatem constructã quæ Trapezos appellata est: Lycaonem vero conuertisse in lupũ, Arcadem autem compactis membris ad vitam reduxisse, & cuidam caprario dedisse nutriendum. Qui cum adulta iam ætate esset, matri inscius vim inferre voluit: quos cum incolæ Lycæi montis occidere vellent, Iupiter vtrosque liberans, astris intulit: qui vt res gesta est, ita manent: illa Vrsæ naturæ, hic impetum faciens, quem Bootem Homerus vocat. Habet autem stellas, in dextra manu quatuor quæ non occidunt: in capite claram vnam, in singulis humeris singulas, in singulis mammillis claras singulas, in dextra parte corporis sub mammilla obscuram vnam, in dextro cubito claram vnam, inter vtraque genua claram vnam, & magnam quæ est Arcturus: in singulis pedibus singulas. fiunt omnes XXIII.

VIRGO.

FVLGET spica manu, maturisque ardet aristis,
Quam te diua vocant: tangunt mortalia si te
Carmina, nec surdam præbes venerantibus aurem,
Exosa heu mortale genus, medio mihi cursu
Stabunt quadrupedes, & flexis latus habenis,
Teque tuumque canam terris venerabile numen.
Aurea pacati regeres cum sæcula mundi
Iustitia, mitiolata malis, placidissima virgo,

Seu genus Astræi fueris, quem fama parentem
Tradidit astrorum, seu vero intercidit ævo
Ortus fama tui, mediis te læta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata subire
Tecta hominum & puros mores sine crimine, diua
Iura dabas, cultuque nouo rude vulgus in omnem
Formabas vitæ sinceris artibus vsum.
Nondum vesanos rabies nudauerat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota,
Ignotique maris cursus, priuataque tellus
Grata satis, neque per dubios amissima ventos,
Spes procul amotas fabricata naue petebat.
Diuitias, fructusque dabat placata colono
Sponte sua tellus, nec parui terminus agri
Præstabat dominis signo tutissima rura.
At postquam argenti creuit deformior ætas,
Rarius imusit maculatas frandibus vrbes,
Seraque ab excelsis descendens montibus, ore
Velato, tristisque genas abscondita ripa,
Nullisque larem, nullos adit illa penates.
Tantum cum trepidum vulgus cœtusque notauit,
Increpat. O patrum soboles oblita priorum,
Degeneres quæ habuit semperque habitura minores,
Quid me nunc habitus super & mala vota vocatis?
Quærenda est sedes nobis nona: secula vestra.
Artibus indomitis tradent scelerique cruento.
Hæc effata, super montes abit alite cursu,
Attonitos linquens populos, grauiora pauentes.
Ærea sed postquam proles terris data, nec iam
Semina virtutis vitiis demersa resistunt:
Quisque priora tenet vestigia, quisque secunda:
Ferrique inuento mens est lætata metallo,

Polluit & taurus mensas, assuetus aratro.
Deserit propere terras iustissima Virgo,
Ecce! sortita locum, qua proximus illi
Tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes.
Virginis at placidæ præstanti lumine signat
Stella humeros, Helicen quæ ignis non clarior ambit,
Quique micat cauda, quique armum fulget ad ipsum,
Quique priora tenet vestigia, quique secunda
Cunctis horsuris & qui sua sidera reddit:
Nunque aliæ quibus expletum ceruixque caputque,
Vestibus ignotæ priscis, sine honore feruntur.

Ad adspectum autem Bootis Virgo constituta est, quæ Erigone dicta est, quæ inter Leonē & Libram in Zodiaco locum tenet. Hanc Hesiodus Iouis & Themidis filiam esse dicit, nomine Iustam. Hunc secutus Aratus dicit, quod cum esset immortalis, in terris morabatur, & a virorum aspectu se subtrahere solita, cum fœminis consulto ludere & conuersari videbatur, & ab eis Iusta vocabatur, & nondum inter homines nequitiam, neque nauigationem fuisse: sed illam in terris moratam, æquitatem hominibus præstitisse eo seculo quod aureum dicebatur. Sed postquam diminuti homines a pietate quieuerunt, illa cum eis minime conuersata est: postquam vero hominum mores in deterius versi sunt, in toto se e terris abstulit, & in ea parte cæli habitauit qua enumeretur. Nonnulli autem eam esse Cererem, eo quod spicas teneat: alij Atargatin. quidam vero Fortunam, pro eo quod sine capite astris infertur. Nigidius de Virgine ita refert: Virginem Iu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtitiam dici ſiue Æquitatem, quæ ab hominibus receſſerit, & ad immortales merito transierit. Nam cum inter mortales conueniret omnibus locis conciliabulisque ſolitam conſiſtere, & præcipere hominibus ne temere a iuſtitia & æquitate diſcederent: qui quandiu monitis eius obedirent, diu in vita ſine cura & ſolicitudine futuros: ſed cum negligentius æquitatem obſeruantes decõnarent, inibique, cupiditate & auaritia alter alterum deciperet, ab hominibus diſceſſiſſe, & digna cæleſti numero immortale præmium pietatis poſſedit. Habet autem ſtellas in capite obſcuram nimis vnam, in ſingulis humeris ſingulas, in vnaquaque ala obſcuras duas: ex eis quæ ſunt in dextra ala a parte humeri, eſt clara vna: & in ſingulis cubitis ſingulas, in ſigulis manibus ſingulas: illa quæ dextra, clarior eſt, & vocatur Spica: in tunica obſcuras ſex, in ſigulis pedibus ſingulas. ſunt omnes decem & nouem.

GEMINI.

Qva media eſt Helice ſubiectum reſſice Cancrum: At capiti ſuberunt Gemini.

Hi dicũtur Caſtor & Pollux, fratres Gemini maxima concordia: e quibus cũ vnus cecidiſſet in pugna quam aduerſus Athenienſes gerebãt, alter immortalitaté accepit. quos Iupiter vtroſque cælo intulit, ſideribusque Geminos nominauit, qui Salutares ſunt appellati. Nam & horum ſtellæ ita ſe habent, vt occidente vna, oriatur altera. Alij volunt Zethum, & Amphionem eſſe, ideo vnus zonam, alter lyram habet. Nigidius

dius deos Samothracas dixit, quorum argumẽtum nefas ſit enumerare, propter eos qui miniſteriis præſunt. item dicit Caſtorem & Pollucem, Tyndaridas, Geminorum honore decoratos, quod principes pacationis dicantur: quod mare totum prædonibus maleficisque pacatum reddidiſſent, & quo in tempore nauigauerint cum Iaſone atque Hercule ad pellem inauraram auferendam, multis laboribus tempeſtatibusque cõflicti, periculorum atque animorum experti, impendia laboribus liberare ſtuduerunt: atque cum a Ioue eſſent elati, petierunt a patre, vt ſibi liceret in eo cæli loco conſtitui, vnde mortalibus auxiliantes proſpicere poſſent. Quamobrem eis conceſſum eſt immortali memoria locoque conſtitui, & pleriſque mortalibus auxiliantes ſui conſpectus gratiam præbent. Quorum prior habet ſtellas, in capite claram vnam, in ſingulis humeris ſingulas claras, in dextro cubito vnam, in eadem manu vnam, in ſingulis genibus ſingulas, in ſingulis pedibus ſingulas. ſunt omnes nouem. Alter qui Propus appellatur, is iuxta cancrum eſt, habet ſtellas, in capite claram vnam, in ſingulis mãmillis ſingulas, in ſiniſtro cubito duas, in eadem manu vnam, in ſiniſtro genu vnam. in ſingulis pedibus ſingulas, in ſiniſtro pede vltimæ diſtantiæ vnam: quæ vocatur Propus. ſiunt ſimul decem. Hi ſunt inter duodecim ſigna zodiaci circuli: ſed in medio circulo æquinoctiali tropici hiemalis, qui Auſtralis appellatur, ſita ſunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CANCER in astris positus esse dicitur, beneficio Iunonis: Quod cum Hercules cum Hydra ad fontem Lernæum depugnaret, hic Cancer Herculis pede morsu deprehendit, vt Panyasis auctor dicit, quem miratus Hercules, calcatum contriuit, beneficioque Iunonis magnis honoribus decoratus est. idem duodecim signorum numero annumeratus. sunt in hoc signo aliæ stellæ quas Græci ὄνους dicunt: Quod cum Liber a Iunone insania obiecta fugeret, ad occursus Dodonæi Iouis, eiusque in templo responsa peteret, vt Philiscus refert, magni imbres cum grandine orti sunt, ea parte qua transiturus erat. Asinis e contrario transeuntibus per aquas, in vno ex his sedens & ipse transuectus est sine periculo, & ab insania liberatus. Vni autem ex his effeciisse dicitur, vt voce humana loqueretur, & post paucum tempus cum Priapo cõtendere cœpit de membro naturali. Priapus compressum asinum occidit. Iouis autem beneficio vtrique immortali honore donati, astris sunt illati. Est & altera origo, quæ infertur ab aliis: Quod cum aduersus gigantes dij bellum agerent, idem Liber & Vulcanus & Satyri asinis insidentes, profecti sunt ad pugnam. Quod genus viso tumultu, diro cum murmure rugissent, gigantes eorum voce territi fugerunt, & confestim dij de gigantibus triumphauerunt: & iccirco vna cum præsepio suo astris sunt illati, & in signo nobilis Cancri positi, cuius cursum ad occasum tendit. Habet autem stellas in cornibus anterio-

anterioribus duas claras, & tres obscuras, quæ appellantur Nubilum: quod circa eum videtur, Præsepium dicitur: in ore vnam, in dextris pedibus singulas: sunt quatuor obscuræ. in sinistris priores claras duas, in secundo vnam, in tertio vnam, in extremo minore vnam, in testa duas. sunt omnes XVI.

LEO.

--QVA *posterior pes,*
Horrentesque iubas & fuluum cerne leonem.
Hunc vbi contigerit Phœbi violentior axis,
Accensa in Cancro iam, tunc geminabitur æstas.
Tunc lymphæ tenues, tunc est tristissima tellus.
Et densas latus segetes bene condit arator.
Ne nubi tunc remis pulset vaga cærula puppis:
Dempetus ventis exclusa vela rudentę,
Excipiamque sinu Zephyris spirantibus auras.

LEONEM beneficio Iunonis inter astra collocatum dicitur, eo quod virtute cæteras præcellat. Periandrus Rhodius refert eum ob primos labores Herculis memoriæ causa, honorifice astris illatum. Nigidius refert hunc Leonem nutritum apud Lunam iussu Iunonis, & in terra Arcadia in regione Nemeæ in spelunca * Mihdimon nomine fuerit, quam quidam Aphtiso dicunt, & iussu Iunonis ad Herculis exitium dimissum, quem Hercules iussu Eurysthei interfecit cũ Molorcho hospite suo, cuius clauã pro viribus tributam principio est adeptus, cum qua Leonem interfecit. itaque postea claua pro gladio, pelle pro scuto reliquo tempore vti cœpit, & apud omnes mortales

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratus ob virtutem haberi cœpit: Iunoni porro magis odio esse. Quapropter leonem cæleſti memoria dignatum voluntate Iunonis nos arbitramur. Hic notabilis & maximus inter ſigna eſt. Plerique volunt Nemeæ gymnicos ludos ob hunc Leonem inſtitutos, hic totus figuratur. Habet ſtellas, in capite tres, in collo duas, in pectore claram vnam, in ſpina tres, in cauda media vnam, in vltima cauda claram vnam, in medio vẽtre vnam, ſub pectore duas, in priore pede claram vnam, ſub ventre vnam claram, in medio ventris vnam, in poſteriore pede claram vnam, in genu poſteriori claram vnam. fiunt omnes decem & nouem. Videntur aliæ ſtellæ obſcuræ ſeptem iuxta caudam eius, quæ vocantur crines Berenices, & ſunt earum virginum quæ Leſbo perierunt. illa autem magna & clara quæ in pectore eius eſt, appellatur Tyberone.

ERICHTHONIVS.

Est etiam Aurigæ facies, ſive inclyta forma,
Natus Erichthonius qui curru ſub iuga duxit
Quadrupedes, ſeu Myrtoas demerſus in vndas
Myrtilos hunc potius ſpecies in ſidera reddit.
Sic nulli curſus, ſic rupto mœſtius habenis,
Perfidia Pelopis raptam gemit Hippodamiam.
Ipſe ingens tranuerſus abit leuam Geminorum:
Maioriſque Vrſæ contra delabitur ora.
Numina præterea ſecum trahit: vna putatur
Nutrix eſſe Iouis, ſi vere Iuppiter infans
Vbera Cretææ mulſit fidiſſima capræ:
Sidere quæ claro gratum geſtat alumnum:

Hanc

Hanc auriga humero totam gerit: at manus hœdos
Oſtendit, nautis inimicum ſidus in vndis.
Orbis ab oceano celſus rapit. haud ſemel hœdis
Lætatam videre ratem nautæque pauentes,
Sparſaque per ſæuos morientum corpora fluctus.

Hic agitator Erichthonius dicitur fuiſſe Vulcani & Mineruæ filius. Qui Vulcanus cum Ioui fulmen efficeret, ab Ioue promiſſum cœpit, vt quidquid vellet præſumeret. ille Mineruam in coniugem petiuit. Iupiter imperauit Mineruæ vt virginitatem defenderet. Dumque cubiculum introirent, certando Vulcanus ſemen in pauimentum iecit, vnde natus eſt Erichthonius, quem Minerua in ciſta abſcondit, draconeque cuſtode appoſito, duabus ſororibus Aglauro & Pandroſo commendauit. Hic primus currus homines equis iunctis docuit ſimiles quadrigæ Solis facere. primum Panathenæa cõſtituiſſe, arcem templumque ædificaſſe dicitur. Quem Iouis meatus aſtris receptum memoriæ tradidit. In hoc ſigno & Capra eſt, quam in humero portat, quæ Iouem nutriuit. Itemque eius filij Hœdi, quos auriga in brachio portat, qui fluctus ſignificare dicuntur, noſcuntur. Muſæus de capra hoc refert: Datur Iouis infans nutriendus Themidi Altheæ quæ fuit domina capræ, quæ ex ea Iouem nutriuit. Eſſe autem hanc capram filiam Solis dicũt, cuius aſpectus tam atrox fuiſſe dicitur, vt Titanes eam timerent, rogarentque matrem Terram, vt eam abderet. Terra autẽ in antro clauſam Amaltheæ tradidit cuſtodiendam, ibique

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iouem cum cuta Amaltheæ educasse. Qui cum esset iuuenis, & ille contra Titanes inermis vellet pugnare, eius pellem dicitur acceptam pro scuto habuisse, quod semper Titanibus agitator timori fuerit: & dicebatur media pelle Gorgoneum caput habere. eo tactus tegmento capræ, tergo alterius pellis tecta restituit, vitæ etiam immortalitate donauit, cælique astris intulit, & eius pellem appellauit. Aliis placet agitatorem Myrtilum esse Mercurij filium OEnomai aurigam, & a patre Mercurio astris illatum, cuius caput nō multum distat ab Helice: genua apponuntur Geminis, pedes iuxta Tauri cornua. Haber autem stellas, in capite vnam, in singulis humeris singulas, sed ea est clarior quæ in sinistro humero est, & appellatur Capra: in singulis genibus singulas, in dextra manu vnam, in sinistra duas, & super ipso brachio stellas duas, quæ vocantur Hœdi. sunt omnes simul decem.

TAVRVS.

AVRIGÆ pedibus trux adiacet ignea Taurus
Cornua fronte gerens, & lucidus igne minaci,
Quem Liber ignarum cæli formando docebat:
Et caput, & patulas nares, & cornua Tauri:
Fronte micant Hyades: quæ cornua flamma sinistri
Summa tenet, sub hac eadem, vestigia dextra
Aurigæ, medioque ligant compagine diuos.
Myrtilos exoritur summo cum Piscibus ore,
Totus cum Tauro lucet, ruit oceano bos
Ante, super terras cum fulget Myrtilus ore.

PORRO Taurum inter astra quidam putant posi-

positum, propter Iouem quod in bouem sit fabulose conuersus. Nigidius hūc Iouem a Neptuno fratre per gratiam adduxisse, qui in figura Tauri sensum humanum haberet quem Iouis Sidonem misit, vt Europam Agenoris filiam ad se portaret, isque per pelagus Sidonem venit, ibique Europam inter æquales suas ludentem in templo Æsculapij cōspexit, eamque repentino arreptu collocatam suo tergo deuexit ad Iouem in insulam Cretam. Ob hāc igitur causam Iupiter Taurum sideribus dignatus est immortali memoria inferre. Eratosthenes dicit hunc esse qui coiit cum Pasiphae, cuius priores partes apparent, reliquum corpus non apparet propter fœmineum sexum. Spectat autem orientem. In signo autem Tauri frons & facies, Hyades vocātur, quas Pherecydes Athenæus nutrices Liberi dicit, quæ Dodonides nymphæ vocantur. Quæ cum a Lycurgo captiuitatem timentes, fugerent Thebas, ne sibi a Iunone aliquid paterentur, Iupiter cælo illatas sideribus honorauit, Hyadesque appellauit, quod nascente Libero eas inuenerit, quas in signum temporis posuit: vel quod sint pluuiales: ὕειν enim pluere est, quia earum ortus imbres concitat: vel quia in modum Y literæ positæ sunt. Musæus & ista refert, Ex Atlante & Hya duodecim filiæ procreatæ sunt, & filius Hyas, quem dum ab apro vel leone occisum sorores omnes nimis diligētes flerent, obierūt e quibus quinque stellas figuratas Hyades appellauerūt septem autem, pleiades. Myrtilus autem quin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que filias Cadmi esse dixit. Habet autem Taurus stellas, in capite quinque, quæ Hyades appellantur: id est in cornibus singulis singulas, in fronte duas, in naribus vnam: hæ sunt Hyades: in singulis genibus singulas, in vngue anteriore duas, in palearibus duas, in collo vnam, in dorso tres, e quibus nouissima splendida est: in ventre splẽdidam vnam, in pectore vnã, in palla vnam. sunt omnes XVIII. ab excisione Tauri vsque ad id quod septem stellę, sunt quas quidam Pliades vel Pleiades dicunt, quæ non videntur simul, eo quod septima obscura sit.

CEPHEVS.

IASIDES *etiam cælum cum coniuge Cepheus*
Ascendit, totaque domo: quia Iuppiter auctior
Est generis. prodest maiestas sæpe parentis.
Ipse breuem patulis manibus stat post Cynosuram,
Deducto passim quantum latus a pede dextro,
Cepheus extremam tangit Cynosurida caudam:
Tantundem a læuo distat minor. vtraque iungit,
Regula. Cepheos vestigia bi'theus ambit.

CEPHEVS in ordine quarto loco positus est, quem Septentrionalis circulus occupat, a pedibus vsque ad pectus: reliquus medius est Arcturo, Æstino tropico circulo. fuit ergo, sicut Euripides scribit, Æthiopum rex, Andromedæ pater, qui filiam suam ad cetũ dicitur exposuisse, quam Perseus saluauit: eiusque causa, & ipse pater beneficio Mineruæ sit astris illatus. Habet quidem stellas, in capite splendidas duas, in singulis humeris singulas, in singulis manibus singulas claras, in singulis cubitis obscuras singulas, in zona tres obliquatas, in dextra coxa vnam, in sinistro genu duas, supra pedes quatuor, in vltimo pede vnam. sunt omnes XIX.

CASSIEPEIA.

QVA *latus afflexum sinuosi respicit Anguis,*
Cassiepeia virum residet sublimis ad ipsum,
Clara etiam pernox cælo cum Luna refulget,
Sed breuis & paucis decorata in sidere flammis,
Qualis serrato subiecit clauicula dentes,
Succubuit, & foribus præduxit vincula clausiri:
Talis dispositis stellis ipsa horrida vultu,
Sic tendit palmas ceu su planctura relictam
Andromedam, meritæ non iustæ piacula matris.

CASSIEPEIA interea (vt refert Sophocles carminum vates) dicitur præposuisse formam suam Nereidibus: ob quam rem ira Neptuni Ceto transmisso vastabatur eorum terra: expostulatamque Andromeden & Ceto propositam: ob quam rem longe habitus eorũ diuersus est. ita autem est Cassiepeia in sella sedens. Habet in capite stellam claram vnam, in singulis humeris singulas claras, in dextra mammilla claram vnã, in dextra manu claram & magnam vnam, in sinistra manu claram vnam, in vmbilico claram & magnam vnam, in sinistro femore duas, in eodem genu claram vnam, in vnoquoque angulo sellæ in qua sedet, singulas claras. sunt omnes XIII.

ANDROMEDE.

NEC *procul Andromede, totã quã cernere nondum*
Obscura sub nocte licet, sic emicat ore,
Sic magnis humeris candens nitet, ac media ambit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ignea substricta fidget qua zonula palla,
Sed pene facies remanet, districtaque pandit
Brachia, ceu magni teneantur robore saxi.

ANDROMEDA filia fuit Cephei & Cassiepeiæ, quæ adamata est a Cupidine, & datum est responsum vt traderetur Ceto ad deuorádum. Quæ suspensa inter duos montes, & exposita Ceto est cum omnibus ornamentis. a Perseo autem liberata est, & ob id Persea dicta: beneficioque Mineruæ astris recepta est. Euripides eam dicit intra astra collocatam vt labor Persei æternus pateret, manibus eius extensis, quéadmodum Ceto opposita est. Quæ cum a Perseo liberata esset, neque patri, neque matri voluit commorari, sed continuo cum Perseo profecta est. Habet stellas, in capite claram vnam, in singulis humeris singulas, in singulis cubitis claras singulas, in dextra manu claram vnam, in eodem brachio claras duas, in zona tres, sub zona quatuor, in singulis genibus claras singulas, in dextro pede duas, in sinistro pede vnam. sunt omnes XXI.

EQVVS DIMIDIVS.

ANDROMEDÆ vero radiat qua stella sub ipsa
Alus, fulget equus: tres armo, sed latera equis
Distinguunt spatia: capiti tristissima forma,
Et cervix sine honore obscuro lumine sordet.
Spumanti mandit sed qua ferus ore lupato,
Et capite & longe cervice insignior exit
Stella nitens, armis laterique simillima magno.
Nec totam ille tamen formam per singula reddit.
Primo præstat equa, medio rapta ordine membra
Desti-

Destituunt, visus radiis hinc surgit imago.
Gorgonis hinc proles in Pierio Helicone,
Vertice cum summo rondum decurreret vnda,
Musæos fontes dextri pedis ictibus hausit.
Inde liquor gentus nomen tenet Hippocrenen.
Fontes nomen habent, sed Pegasus æthere summo
Veloces agitat pennas, & sidere gaudet.

EQVVS præterea dimidius est, priore parte patens vsque ad vmbilicum. Aratus dicit super Geniculatorem situm, & iam astris illatum, eo quod a celsitudine Heliconis montis percusso pede dextro aquam produxit, quem liquorem Hippocrenen dicunt. Quidam pro eo quod Iouis eo vsus fuerit. Nonnulli vero Pegasum putant qui ad astra pro Bellerophontis interitu euolauerit. Euripides dicit Melanippen Chironis filiam esse, quæ compressa, grauida profugit in Pelion montem: & dum a patre comprehendi timeret, deorum misericordia conuersa in equum ad astra conscendit, cuius posteriores partes corporis propter fœminei sexus pudorem non videntur. Habet autem stellas, in facie claras duas, in capite claram vnam, in singulis auribus singulas claras, in maxilla vnam, in ala proxima capiti claram vnam, in humero alæ dextræ vnam, in media ala vnam, in extremis pennis vnam, in armo vnam, in pectore vnã, in spina vnam, in vmbilico claram vnam, in singulis genibus singulas, in singulis vngulis singulas, sunt omnes XVIII.

ARIES.

INDE subest Aries, qui longe maxima terræ

Orbis, & ad finem spatiis non tardior oram
Peruenit, & quando grauiore Lycaonis Arctos
Axem vel tutor quem tanto gratior ille
Distantes cornu properat contingere metas.
Claraque non illi est facies, nec sidera possint,
Officiat si Lunæ sua virtute nitere.
Sed quærendus erit Zonæ ratione micantis,
Vt chelæ, eandem aut baltheus Orionis.

ARIES, vt Hesiodus & Pherecydes dicunt, inter astra collocatus est, propter Phrixum & Hellen Athamantis & Nebulæ filios. Qui cum nouercam occidere vellent, insani a Libero eiiciuntur effecti: qui dum in silua errarent, matri eis arietem aurata pelle fertur adduxisse: qui cum nauigare vellent, in mare proiecti sunt, quod pelagus ab Helles nomine Hellespontus vocatur. Helle autem (vt aiunt) a Neptuno salutata est, & ex ea puerum Phronem genuit. Phrixus autem insidens præparato arieti, Colchos adductus est ad Æetam regem, ibique Arietem Martí immolauit, eique suam auream pellem cõcessit, antequã inter astra processisset, quam Draco custodiuit. Genitum autem hunc Arietem dicunt ex Neptuno & Theophane Altidis filia: quam cum adamasset, in insulam Crinnissam traduxit, inque ouem conuertit, cum qua in Arietem mutatus concubuit, ex qua Aries chrysouellus natus. Nigidius hunc Arietem dicit ducem & principem esse signorum zodiaci circuli. Immortali autem honore donatum, quod cum Liber exercitum in Aphricam duceret, & aquæ inopiam pateretur, subito Aries ex

ex arena exiuit, & Liberum cum suo exercitu ad aquam perduxit diuinitus. Hoc facto Liber eum Arietem Iouem Ammonem appellauit, eique fanum magnificum fecit, eo in loco in quo reperta est aqua, & abest ab Alexandria itinere dierum nouem, locus arenosus & serpentum multitudine plenus, & ab arena Ammon est nominatus. Præterea Aries dux aquæ, immortalis mutatus, & cæli sidera cõsecutus. Conuertit autem caput ad Taurum, ipse autem assequitur alios signis. Habet autem stellas, in capite vnam, in auriculis tres, in collo duas, in summitate pedum anteriorum singulorum singulas, in dorso quatuor, in cauda vnam, in ventre tres, in summitate singulorum pedum posteriorum singulas. sunt omnes XVIII.

DELTOTON.

Est etiam propiore deum cognoscere signo,
Deltoton, si quis donum hoc spectabile Nili,
Dimotibus veneratum vndis in sede notarit.
Tres illi laterum ductus, æquata duorum
Sum spacia, vnius breuior, sed clarior ignis.
Hunc Aries iuxta medium Deltoton habebit.

SVPER caput Arietis non longe ab Andromedæ pedibus adiacet signũ quod Græci ob similitudinẽ Deltæ literæ, Deltoton vocãt: Latini autem ob proprietatem formæ, Triangulum dicunt. Quod quidam a Ioue per Mercurium inter astra positum dicunt, super caput Arietis, pro eo quod obscurum esse dicitur. Quidã vero dicunt Ægypti esse effigiem, stellis figuratam in tribus angulis, id est trigono, & Nilum talem

Universidad de Deusto
Biblioteca

ambitum facere. Habet autem stellas tres, in singulis angulis singulas, e quibus vna est clarior.

PISCES.

Inter lanigeri tergum, & Cepheida mæstam
Hinc vitra gemini Pisces, quorum alter in austrum
Tendit, Threicium boream petit alter, & audit
Stridentes auras, niueus quas procreat Hamus.
Non illis liber cursus, sed vincula cauda
Sungula vtrunque tenent vno coëuntia nodo.
Nodum stella premit Piscis qui respicit auras
Threicias. dextrâ Andromedæ cernuntur ad vlnam.

PISCES hi sunt, & maior Piscis. Nigidius hos Pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, & ibi ouum inuenisse miræ magnitudinis, quod voluentes eiecerũt in terram, atque ea columbam insedisse, & post aliquot dies exclusisse eam Syriæ quæ vocatur Venus: maxime quæ misericors ad homines pertinebat: quæque multa quæ ad vtilitatem hominibus verterentur, ea dicitur inuenisse. Quæ, quoniam Iouis sæpius a Mercurio laudari nominarique audiret, quod in deos religiosa, in hominibus officiosa diligenter fuerit, rogata a Ioue quod sibi optanti tribui postularet: illa ait, Vt pisces qui suam originem seruassent, immortali præmio afficerentur. Iupiter in duodecim signis Pisces siderum splendore decorauit. Vnde hodie quoque Syri neque hos Pisces edunt, & columbas pore stare decorant. Horum autem vnus aquilonius est, alter australis, ex aduerso caudis vtrinque positis. Habent inter se alligamentum luteum,

teum, continens vsque ad priores pedes arietis. Andromedæ autem humerus dexter, piscis est signum. Habet idem aquilonius stellas duodecim. Alligamentum luteum, quo continentur in parte boreæ, habet stellas tres, in parte noti tres, ad orientem tres, ad occidentem tres. Australis piscis quindecim. sunt omnes XXXIX.

PERSEVS.

Tantvs & ille micat, tantum occupat ab Ioue cæli.
Dextra sublata a similis, prope Cassiepeiam:
Sublimis fulget pedibus: properare videtur,
Et velle aligeris parum æthera tangere palmis.

PERSEVS quidem ex Danae & Ioue natus est. Iupiter enim in similitudinem aurei imbris se transformans, oppressam delusit Danaen, Acrisij regis Argiuorum filiam, quam pater a Ioue vt vitiatam cognouit, intra arcam includens, præcipitauit in mare: quæ delata ad Italiam, inuenta a quodam piscatore, & oblata regi, eam sibi fecit vxorem, vna cum Perseo quem enixa est in mari. Qui missus ad Polydecten regem insulæ Seriphi, acceptis a Mercurio talaribus, & a Vulcano harpe adamantina, per aëra iter faciens ad Gorgones Phorci filias veniisse perhibetur, quæ angues pro crinibus dicuntur habuisse, quosque vidissent in lapides conuertere. Gorgones tres feruntur fuisse sorores, vno oculo, vna pulchritudine inter se communicantes: quarum nomina putantur, primæ Stheno, secundæ Euryale, tertiæ Medusa. Quidam vero eum a Minerua missum dicunt, & ab ea clypeum vitreum ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cepisse, per quem videre nec videri ab eis posset. Qui cum Gorgones dormientes inuenisset, caput Medusæ abscidit & Mineruæ tradidit: quod illa in suo pectore aptauit, vt in bello terribilior esset. Perseum autem inter sidera collocauit. Habet autem stellas, in capite vnam, in singulis humeris claras singulas, in manu dextra claram vnam, in eodem cubito vnam, in manu sinistra vnam, in dextra parte lumborum claram vnam, in sinistro femore claram vnam, in singulis genibus singulas, in singulis tibiis singulas, in singulis pedibus singulas, in capite Gorgonis circunquaque tres, in harpe vnam. fiunt omnes XVIII.

PLEIADES.

SIDERA *communem ostendunt ex omnibus ignem.*
Septem traduntur numero, sed carpitur vna,
Deficiente oculo distinguere corpora parua.
Nomina sed cunctis seruauit fida vetustas:
Electra, Alcyoneque, Celænoque Taygetequę,
Et Sterope, & Meropeque simul, formosaque Maia,
Celsere genita, si vere sustinet Atlas
Regna Iouis, superosque, atque ipso pondere gaudet.
Lumine non multo Pleias certauerit astris:
Præcipuo sed honore ostendit tempora bina:
Cum primum agricolam ventus supereminet auster,
Et cum surgit hiems portu fugienda pertis.

PLEIADES a pluralitate Græci vocant: Latini, eo quod vere exoriantur, Vergilias dicunt. Dicit autem Pherecydes Athenæus, septem sorores fuisse, Lycurgi filias, ex Naxo insula: & pro eo quod Liberum educauerunt, a Ioue

a Ione inter sidera sunt relatæ. Harum nomina putantur, Electra, Alcyone, Cæleno, Asterope, Merope, Taygete, Maia: quarum septima, vt ait Aratus, vix intueri potest, quam quidam præ timore Orionis fugisse putant: quidam a Sole persecutam arbitrantur, vocatamque Electram, quæ non sustinens videre casus pronepotum, fugerit. Vnde & illam dissolutis crinibus propter luctum ire asserunt, & propter comas, quidam Cometen appellant. Nonnulli vero Meropen esse autumant, quæ nupta a quodam viro nominata est Hippodamia. Musæus autem refert filias Atlantis fuisse septem, ex quibus sex claræ sunt, vna obscura, cum diis concubuerunt, tres cum Ioue, & ex Electra Dardanus, ex Maia Mercurius, ex Taygete Lacedæmon: cum Neptuno duæ, Alcyone, ex qua Herus: Cæleno, ex qua Lycus: cum Marte Asterope, ex qua OEnomaus: Merope, cum Sisypho. Magnam apud homines dignitatem habent.

LYRA.

TEMPORA *læua premit Partha subiecta draconis,*
Summa genu subuersa tenet qua se Lyra volvit:

LYRAM inter astra collocatam dicunt, propter honorem Mercurij qui eam cõdidit ex testudinis similitudine, de Apollinis boum cornibus: qui intendit chordas septem Atlantidum numero. Regrediente igitur Nilo ad suos meatus, inter cætera relicta etiã testudo est, quę cum putrefacta fuisset & nerui eius extensi intra corium remansissent, percussa a Mercurio

Universidad de Deusto
Biblioteca

sonitum dedit: in cuius similitudinem Mercurius Lyram fecit, quam postea Apollini datam, alij Orpheo dicunt, eo quod vnius ex musis, id est Calliopæ sit filius. fecit autem chordas nouem iuxta numerum musarum. Tantæ nanque dicitur dulcedinis in modulando fuisse, vt arbores, saxa, bestias, atque inferos commouerit ob coniugis Eurydices desiderium ad inferos descendens. Qui cum Apollinem maximi deorum honoraret, Liberum autem patrem a quo fuerat glorificatus minime glorificaret, sedens in Pangeo monte, & exspectans solis ortum. Liber indignatus misit Bacchas, vt Æschylus scribit, quæ eum membratim discerperent: collectisque membris eius sepelierunt eum in Lesbis montibus: eius Lyram Musæo dederunt, Iouemque rogauerunt, vt eius memoriam astris inferret. Habet autē stellas, in vtrisque pectinibus singulas, in cacumine chordarum singulas, in vtrisque humeris singulas, in fundo vnam, in modulo vnam, in tympano claram atque candidam vnam. sunt omnes nouem.

CYCNVS.

CONTRA *spectat autem, vel Phœbi quæ fiat olim,*
Cycnus de thalamis candens, qui lapsus adulter
Porta Ioui falsa volucer sub imagine texit.
Haud medij fulgoris erunt penna: vtraque lata,
Dexterior iuxta regalem Cepheos vlnam:
At læua fugit instantem sibi Pegason ala.

CYCNVM dicunt inter astra constitutum, eo quod Iupiter in Cycnum transfiguratus euolauerit

lauerit in ramum Atticæ regionis, ibique compresserit Nemesin, quæ & Leda dicitur (vt refert Crates tragœdiarum scriptor) quæ enixa est ouum, vnde nata est Helena: sed quoniam Iupiter rursus in cælum in Cycnum trāsfiguratus se recepit, vt fuit pennis tensus, simulacrum eius sideribus reliquit. Habet autem stellas, in capite claram vnam, in dextra ala quinque, vnam claram quæ est erga collum, in sinistra ala quinque, in pectore vnam, in cauda vnam, quæ est amplissima. sunt omnes XIIII.

AQVARIVS.

OCEANO *mersus, sopitas condere flammas,*
Imbres, occasus ortusque intercipit ora.
Et cum terrores auget nox atra marinos,
Multum clamatos frustra spectaueris ortus.
Tunc rigor, aut rapidus ponto tunc incubat auster,
Tarda ministeria, & nautis tremor allubat artus,
Et rationem animis temeraria pectora soluent.
Nulla dies oritur, quæ tam vacua æquora cernat.
Puppibus & semper tumidis ratis innatet vndis,
Interea tentare vndas iuuat, aspera sed cum
Assultat lateri deprensa spuma carinæ,
Tunc alti cæruos prospectant littore portus:
Inuentaque alij terras pro munere narrant,
Interea examinat pauidos instantis aquæ mons:
Ast alij procul e terra iactantur in altum:
Mouit & hos breue lignum, & fata instantia pellit,
Et tantum a leto, quantum rate fluctibus absunt.

PORRO Aquarius nomen accepisse dicitur, quod eius exortu imbres plurimi fiāt. Quidam volunt Ganymeden ouum esse, Troili &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Callirrhoes filium, qui cum in Ida monte venaretur, ob nimiam pulchritudinem a Ioue adamatus, & per aquilã raptus, inter astra est collocatus. Dehinc Aquarius dictus est, quod vndas funderet. Nigidius Hydrochoon siue Aquarium existimat esse Deucalionem Thessalum, qui maximo cataclysmo sit relictus cum vxore Pyrrha in monte Ætna, qui est altissimus in Sicilia. & posteaquam se & vxorem suam in terra relictum censuit, orbitatis & vastitatis misertus, ab Ioue precari cœpit, vt aut & ipsi interirent, aut hominum genus restituerent. Iupiter respondit, & per sortem indicauit, vt lapides quos ante se reperissent, post se iactarent. Reuersi itaque, quotquot Deucalion misit, viri fiebant: quos Pyrrha, fœminæ. Quo facto rursus hominum genus natum est: ob quam rem λαὸς; Græce populus dicitur, quia lapis antiquitus Græce λάας appellabatur. Ab antiquis quidem dicitur Aristeus filius Apollinis fuisse, quem Apollo dicitur ex Cyrene procreasse, quam compressit in monte Orpheo, qui Cyrenis est appellatus. Aristeus dicitur omnibus artibus doctus fuisse, quibus cæteros homines ad bonos fructus vtilitatemque perducebat. Is cum Caniculæ signum pestiferum oriretur, & statim præsentes fructus læderentur, & homines diuturna pestilentia afficerentur, factum est vt a diis impetraretur, maxime Neptuno, Iouis fratre, ne tempestatibus & vētis patereturgenus humanum affici indignis calamitatibus. Itaque venia data, constitutum est

esta diis, vt Caniculæ stellæ exortu, venti perflarent dies circiter quadraginta, eiusque pestilentiæ vim abscinderent. Quapropter Aristeus a diis inter astra est collocatus. Habet autem Aquarius stellas, in capite obscuras duas, in singulis humeris singulas amplas, in sinistro cubito vnam, in dextro cubito vnam, in singulis manibus singulas, in singulis mammillis singulas, sub mãmillis singulas, in dextro lumbo vnam, in singulis genibus singulas, in dextra tibia vnã, in singulis pedibus singulas. sunt omnes XVIII. Effusio vero aquæ dextra læuaque, sit stellis XXXI. Quarum duæ splendidæ sunt, cæteræ vero obscuræ.

Capricornvs sane similitudinem habet Ægipanos: habet enim posteriorem partem Piscis, priorem Capricorni: & hunc honorem dicitur assecutus, eo quod cum Ioue sit nutritus. Epimenides dicit in Ida vtrosque nutritos, & ad Titanũm bellum cum Ioue esse profectum: quem Iuppiter victor astris intulit, quod eius opera dij armati essent: itemque matrem eius Capram, quod Dicolon inuenisset in mari, ideo Piscis cauda notatam. Nigidius Capricornum refert immortali honore donatum, quo tempore Typhon in monte Tauro speluncam haberet, & Ægyptum incoleret, ab Ioueque cõcessum habuisset, quemadmodum diis posset obsistere, cum eis consiliũ panderet, si neque terras relinquere vellent: neque Typhonis immanitati resistere, dij possent, inconsulte figuras immutauerunt, in quã quis vellet,

seu bestiam, seu volucrem, seu piscem peendemve, Typhon se in capram transmutasset: itaque immortales figuris ignotis Typhonis ante oculos crebro versabantur: vnde adhuc maxime pro diis multas bestias obseruant coluntque Ægyptij. Et cum venit Typhoni nemini deorum aduertari, sibimet vacuam cognouit dominantibus, arbitratus deos se veritos, propter metum: dominabatur imperitis fortunæ varietate, & periculi magnitudine instantis. Nam post xvm. dies dicitur consilium de corrupente a diis factum vt interficeretur: ob idque vsque hodie in Ægypto hos dies, id est xviii. festos perpetuo, annis singulis instituerunt: in quibus diebus qui nascitur, amplius quam eos non viuit. Typhon autem fulmine interficitur ab Apolline, in templo Ægypti Memphis, vbi mos fuit solio regio decorari reges qui regnabant. Ibi enim sacris initiabantur primum, vt dicitur, reges, satis religiose tunicati: & Tauro quem Apim appellant, iugum portare fas erat, quem deum maximum Ægyptij existimant. & per vicum vnum duci, vt periti existimabant, labore humanæ necessitatis, vt crudelius quæ sub eis sint abutantur. deducitur autem a sacerdote Isidis in locum qui nominatur Adytos, & iureiurando adigitur, neque mensem, neque diem intercalandum, quem in festum diem immutarent, sed cccl.xv. dies peracturos, sicut institutū est ab antiquis. Sed illo reuertamur vnde digressi sumus. Igitur dij postea quam Typhonem pœna affecerunt & interfecerunt, sanc-

cta astrorum memoria decorauerunt, & ei nomen Ægyptij, Ægipana imposuerunt, quod cum tanti dij se in bestias cōuertissent, Typhon se in Capram transfigurabat: oppidumque magnificum in Ægypto ædificauerunt, quod Panopolin appellauerunt. Habet autem stellas, in singulis cornibus duas, in naribus clarā vnam, in capite claras duas, sub collo vnam, in pectore duas, in anteriore pede vnam, in summitate ipsius pedis vnam, in dorso septem, in ventre quinque, in caudæ extremitate claras duas. sunt omnes xxvi.

SAGITTARIVS.

BELLIGERVM *Tum etiam cum cōtigit ortum,*
Ducentemque ferunt sinuato spicula neruo,
Iam clausum ratione mare est, tam nauita portu
Infestam noctem fugit, ad longasque tenebras,
Signum erit exortens nobis tum nocte suprema.
Scorpios ille micat super fretu cærula cauda:
Insequitur grauis Arcus, & in lucem magis exit.
Tunc alte (ynosura) repit, tunc totus in vndas
Mergitur Orion, humeris & vertice (epheus.

PORRO Sagittarius Scorpione oriēte ascendit, quo ascendente Orion occidit totus, & Cepheus a vertice & humeris cum manibus, in cuius signi regione zodiacus circulus humillimus est propter equina crura. Quidam negant, dicentes nunquam Centauros vllis sagittis vsos fuisse. Quidam autem dicunt, quod quadrupedes esse non videantur, sed stans bipes sagittarius. Hic autem homo equinis pedibus est, & caudam habet veluti sagittarij. Sositheus autem tragœdiarum scriptor, illum affirmat esse Cro-

tonem. Euphemes Musarum nutricis filium, & inhabitasse Heliconem, atque sagittis & venatu vitam exegisse, qui inter Musas sæpius commoratus, plausu cantus earum distinguebat, id est ad pedem manibus plaudebat. quo alij timerent. Hunc Musæ beneficio Iouis astris intulerunt, cuius artes, id est plausus & sagittæ, inter mortales mansere. Nigidius de Crotone idem dicit, sed non conuersatum cum Musis: sed dum illæ cantus chorosque celebrarent, hunc procul auditu repentino plausu ad pedem feriendo oblectare canentes, ob hoc eum a Ioue immortali memoria earum rogatu donatum, quod esset nutricis earum filius, idē Oceani nepos. Habet autem stellas, in capite duas, in arcu duas, in acumine sagittæ duas, in dextro cubito vnam, in eadem manu vnam, in ventre claram vnam, in spina duas, sub cauda duas, in anterioribus geniculis singulas. sunt omnes XV. Reliquæ vero septem, subter crura, similes quidem sunt posterioribus, quæ non ostenduntur, quod Centaurus duplex sit: iaculum autem eius, ex quo dicunt omnes Cyclopas ab Apolline interfectos, qui Iouis fulmina fuerant, absconditum fertur ad aquilonem, & peracta, ac potius sedata lite, assumptum, & ad pedes sagittarij inter astra collocatum. Habet autem stellas quatuor, in summo vnam, in medio obscuram vnam, in pennis duas, vnam vero splendidiorem aliis.

AQVILA.

VNGVIBVS innocuis Phrygiũ rapuit Ganymedem Et

Et cælo appositus custos quo Iuppiter arsit:
Impuero, luit excidio quem Troia furorem.

AQVILAM sane inter astra collocatam dicunt, propter Ganymedem Iouis ministrum, quem rapuit in cælum. est enim ea signum Iouis, quod cum dij omnes volucres inter se diuiderent, eam in portione sortitus sit Iouis. quod altius cunctis volantibus euolet, & pene inter omnes principatum teneat, & quod sola auium Solis radiis non terreatur. Nanque ita est spectans ad orientem pennis tensis. Aglaosthenes dicit Iouem in aquilam transfiguratum, Naxiam regionem vbi nutritus fuerat petiisse, & regnum accepisse. Egresso vero de Naxo cum aduersus Titanas proficisceretur, & sacrificium faceret, aquilam ei in auspicio apparuisse, & fulmina ministrasse, quam bono omine acceptam tutelæ suæ subiecisse. Habet autem stellas, in capite claram vnam, in humeris singulis alarum singulas, in pectore obscuram vnã. sunt omnes quatuor. Sagitta autem quam tenet in pedibus, dicitur sagitta Apollinis fuisse, cum qua Cyclopas interfecit, eo quod Iouis fulmina facerent, quod eo telo Æsculapius eius filius a Ioue esset interfectus: quam sagittam astris illatam in memoriam virtutis suæ reliquit. Habet autem stellas quatuor, in summo vnam, in medio vnam, in pennis sagittæ duas.

DELPHINVS.

SIDERA quæ mundi pars celsior æthere voluit,
Quæque vident boream, ventis assueta serenis

Diximus: hinc alius declinis ducitur ordo,
Sentit & insanos obscuris fluctibus austros.

NEPTVNVS, vt Artemidorus refert, Amphitriten voluit in coniugiũ accipere: quæ cum ob verecundiæ magnitudinem & virginitatis obseruantiam ad Atlantem confugisset, Neptunus post eam multos misit qui eam peterẽt, inter quos & Delphinum misit qui eam peteret. Quæ cum circa insulas Atlantis moraretur, reperit eam, nunciauitque Neptuno: quam ille suis persuasionibus ad suam perduxit voluntatem, Delphinoque maximos honores in mari tribuit, quem in astris intulit & in manu sua habere instituit. Habet autem stellas nouem, & ideo musicum signum dicitur, eo quod in numero musarum stellas habet, in ore vnam, in scapulis duas, in pinnulis ventris tres, in dorso vnam, in cauda duas. sunt omnes nouem. Delphinus autem non multum currit supra Capricornum.

ORION.

TELA, caput, magnisq; humeris, sic baltheus ardet,
Sic vagina ensis, pernici sic pede fulget.

ORION qui & Incola dicitur, ante Tauri vestigia fulget, & dicitur Orion, ab vrina, id est ab inundatione aquarum. Tempore enim hiemis habet ortum cum mare & terras aquis & tempestatibus turbat. Hunc Romani Iugulam vocant, eo quod sit armatus, vt gladius stellarum luce terribilis & clarissimus: qui si fulget, serenitatem portendit: si obscuratur, tempestatem innuit imminere. Hunc Hesiodus dicit Neptuni & Euryales filiũ, cui dono datũ est a Neptuno, vt

vt super fluctus ambularet, veluti supra terram. Qui cum Chium venisset, Meropen OEnopionis filiam compressit, quem Oenopion ob iniuriam exæcauit, & de finibus suis expulit. ipse cum Lemnum venisset, a Sole dicitur ei lumina restituta esse, & reuersus est ad Oenopionem. qui cum a ciuibus terra absconderetur OEnopion, desperata eius inuẽtione, Cretam est profectus: vbi cum immodice venaretur, & a Diana corriperetur, ait se nullam feram in terris relicturum. Tellus indignata Scorpionem extulit miræ magnitudinis, qui pœnas magniloquẽtiæ eius exigeret, Iouis autem Orionem ob virtutem astris intulit. idem rogatu Dianę Scorpionem inter astra duodecim cælo collocauit, quorum contra magnitudinem stellæ quoque eorum amplissimæ sunt. Aristomachus autem dicit Erythrea quendam Thebis voto petisse, vt filium haberet: ad quem Iouis Mercurius & Neptunus hospitio deuenerũt: qui eis hostiam immolauit, vt filius nasceretur. cuius bouis pelle detracta, dij in eam vrinam fecere, iussuque Mercurij, terra obruta est, vnde puer supradictus est natus, quem Vrionem appellauerunt & astris intulerunt. Quidam autem dicunt Vrionem Methymnæum, qui cum esset citharæ potẽs, rex Corinthiorum Pyranthus nomine eum dilexit: qui cum a rege impetrasset vt ciuitatem arte sua illustraret, & magnum patrimonium acquisiuisset, consenserunt famuli cum nautis, vt eum interficerent: quem cum vellent interficere, petiit ab eis vt ante decantaret. Cũ autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

citharæ ſonus cum voce eius audiretur. Delphini circum nauim venerunt, ille ſuper vnum ex his ſe præcipitauit, qui eum ſublatū ad Regem Pyrāthum Corinthum detulit. Delphinus ſubductis per æſtum aquis exanimatus eſt. Qui cum ſuos caſus Pyrantho narraſſet, iuſſit rex Pyranthus Delphinum ſepeliri, & ei monumentum fieri. poſt aliquantulum temporis nauis qua Orion deuectus fuerat, Corinthum delata eſt. Nautas cum ad ſe adduci rex imperaſſet, & de Orione inquireret, dixerunt eum obiiſſe. Quibus ille, Craſtino, inquit, die ad Delphini monumentum iurabitis: eosque cuſtodiri mandauit, atque Orionem ita ornatum ſicut ſe præcipitauerat, in monumento Delphini deliteſcere. Cum autem adducti per Delphini monumentum iurarēt Orionem obiiſſe, & de monumento prodiiſſet, illi eum videntes obmutuerunt, ibique regis imperio crucifixi ſunt. Dehinc Iouis miſeratione dicitur Orion cum Delphino inter aſtra poſitus. Nigidius autem refert quodam tempore Iouem cum cæteris diis apud Muſæum Biſthoniorum regem hoſpitio dapſili copioſoque affectu prædito in hilaritate conſtituiſſe, vt in corio Tauri qui tunc immolatus fuerat, mingerent, eoque loco in corio terra obruta natus ſit Orion: qui factus adoleſcens digna deorum forma atque egregia virtute incitatus, immortali memoria obtēperabat, quibus ortus dicebatur. Nam cum in Celinio venaretur, Dianam irridens contēnebat eius opera, quæ in monte conſtituebat. Itaque Diana mi-

miſiſſe dicitur Scorpionem qui Orionem vita priuaret: Orion vita priuatus, ſideribus illatus eſt. Habet autem ſtellas, in capite claras tres, e quibus media eſt ſplendidior cæteris: in ſinguli humeris ſingulas claras, in dextro cubito obſcuram vnam, in eadem manu vnam, in zona tres, in gladio quem tenet in manu, tres: in ſingulis genibus ſingulas, in ſingulis pedibus ſingulas, in mantili tres. ſunt omnes XVII. & decem ex eis obſcuriores.

CANIS.

Cvm tetigit Solis radios, accenditur æſtas,
Diſcernitque: ortu longe ſata vinida ſormat:
Et quibus aridæ frondes, aut languida radix,
Exanimat: nullo gaudet mansuēue minuēue
Agricola: & ſuos primo ſpeculator aborsu.

SIRIVS, ſtella eſt in medio Centro cæli, ad quam cū Sol acceſſerit, duplicatur calor ipſius, & languore afficiuntur corpora humana. Sirium autem ſtellam vocatam putant, propter flammæ candorem. Latini autem illam Caniculam vocant, vnde & dies Caniculares dicuntur, quia quandiu Sol in ipſa eſt, peſtifera eſt, ſed pro qualitate adiacentium commutatur. nam aut vincitur, aut morboſis vtitur viribus. hinc eſt, quod cum certo tempore oritur, non ſemper eſt noxia. Quidam vero dicunt, Canem fuiſſe quæ Europæ cum dracone cuſtos data eſt, quæ poſtea Minos vtraque accepit. Eandem poſtea ob medicinæ cauſam Procridi in munere datam, quæ poſtea Cephalus vtraque poſſedit, vir Procridis, qui eam ad Thebas duxit ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

vulpem Thebanorum agros infestantem: cui Cani fatum est, ne ab vllo posset interfici, itemque Vulpi. Iupiter vero Vulpem in lapidem conuertit, & Canem astris intulit. Amphianus tragœdiarum scriptor refert, quod cum hominibus stellæ relinquerent locum, missus est legatus Canis ad Doloram: quam vt vidit, tempore tempestiuo adamauit. qui cum flagraret amore, nec posset frui, magis asperius vrebatur: calamitate accepta, & Deos adiutores inuocare cœpit. tunc Aquilo misit filios suos adolescentes, qui operam Cani traderent, & ipse flatu suo Canis ardorem sedauit, qui flatus Etesiæ dicitur: amoris autem memoria remansit.

Sunt qui aliter memorent. Icarius a Libero hospitio receptus est, qui ei in munere vtrem plenum vino tribuit, iussitque vt in reliquas terras propagaret. Icarius dehinc Athenæus, cum in terram Atticam ad posteros deuenisset, eis genus hoc suauitatis ostendit. pastores autem cum immoderatius biberent, ebrij facti conciderunt. Qui arbitrantes Icarium malum medicamentum sibi dedisse, eum fustibus interfecerunt. Icarium autem occisum Canis qui cum eo fuerat, Mæra nomine, vlulans, Erigone eius filiæ monstrauit vbi pater insepultus iaceret: quæ cum venisset, eius corpus sepeliuit, ipsaque se in monte Hymetto contulit, ibique laqueo sibi mortem conscíuit. Tunc dicitur Liber a Ioue petiisse, vt Erigonem & Icarium astris inferret. Iouis autem audita eius petitione, Erigonem signum Virginis nominauit: Icarium autem

autem patrem eius, Arcturum. Qui cum exoritur, tempestates mari terræque efficit. cumque Athenas pestilentia opprimeret, ex oraculo responsum est cessaturam pestilentiam, si per annos singulos de frugibus & vindemia Icario & Erigonę primum delibaretur. Quod factum est ab Athenienſibus, qui diebus festis institutis aras constituerunt: ideo quia illam pendentem aspexerunt, quod est apud Græcos: ex quo factum est, vt soli oscillo iactarentur homines. Canis autem Icarij qui vlulans ante pedem pendentis Virginis mortuus est, Astrocyon nominatur, quod nos Canis stellam dicimus: qui ob eandem causam quando exoritur, summam pestilentiam hominibus facit. Habet autem stellas, in capite vnam, quæ Isis dicitur, claram: in lingua vnam, quam Sirium vel Canem vocãt, quæ magna est & splendida: in collo duas, in singulis humeris singulas obscuras, in pectore claras duas, in anteriore pede sinistro tres, in dextro vnam claram, in extremo supra dorsum tres, in ventre duas, in sinistro femore vnam, in posteriori pede sinistro vnam, in summitate caudæ vnam. fiunt omnes xx. Situm autem est hoc signum inter hiemalem tropicum, & arcticum subterraneum qui Australis vocatur.

DASYPVS.

Sic vtrunque oritur, sic occidit in freta sidus:
Tu parvum Leporem perpende sub Orione.

LEPVS sub pedibus Antecanis & Orionis constitutus est. Hic dicitur Orionis canẽ fugere

Universidad de Deusto
Biblioteca

venantis. Nam vt venatorem cum finxerunt aliqua de causa, ita Leporem ei ad pedes fugiẽtem finxerunt. Quidam negant tam nobilem, tamque magnum venatorem, de quo ante in Scorpione signo diximus, & postea in ipsius figura dicemus, oportere leporem venari. Callimachusque accusat eum, quod cum Dianæ scriberet laudes, eam leporino sanguine gaudere, & eos venari dixerit. Nonnulli a Mercurio inter astra collocatum dicunt propter nimiam velocitatem, siue quod inter quadrupedes plus pariat, & quosdam fœtus pariat, quosdam vero in ventre habeat, sicut Aristoteles philosophus ait, qui de animalium ratione diſeruit. Antiquitus autem dicebatur in insula Lero nullum leporem fuisse, sed ex eorum ciuitate adolescens quidam studio generis ab exteris terris leporem fœminam produxit, & ad eius partum diligentissime quæ opus essent administrauit: itaque cum peperisset, & complures eius ciuitatis ad studium intendisset, & partim precio, partim beneficio mercati essent, omnes lepores alere cœperunt: quibus cum nihil daretur ad manducandum, impetu facto, omnia comederunt: quo facto insulam calamitas afflixit. itaque postea Leporis figuram astris contulerunt, vt homines meminissent nihil his exoptandum in vita, si insolenter vtantur lætitia, qua dolorem capere posterius cogantur. Habet autem stellas, in singulis auribus singulas, in pectore duas, in dorso nitidam vnam, in posterioribus pedibus singulas. sunt autem omnes VII.

ARGO NAVIS.

AT cum decurrens libabet iam nauita remos,
Auersamque ratem votis damnatus ab orç',
Perlegit, optatam cupiens contingere terram:
Sed quia pars violatis fuit cœuntia saxa,
Numine Iunonis tutus cum fugit Iasõn,
Hæc micat in cælo lateri non amplior, æclus
Qua surgit malus, qua debet reddere proram,
Intercepta perit nulla sub imagine forma:
Puppis demisso tantum stat lucida clauo.

POST Canis igitur magni caudam, secundum stellarum ordinem Nauis constituta est, quam quidam beneficio Mineruæ inter astra collocatam dicunt, quæque prima ab ea fabricata est, & mare quod antea inuium fuerat hominibus, perunum nautis ingenio fecit: quam notatam in cælo figurauit, sed a gubernaculis vsque ad malum. Nonnulli dicunt Danaum Beli filium ex compluribus coniugibus quinquaginta filias habuisse: fratrem autem eius Ægyptum totidem filios. Danaum autem & filias eius interficere voluit, vt regnum paternum solus obtineret, easque filiis suis vxores a fratre popoſcit. Danaus autem cognita malitia, Mineruã inuocauit adiutricem: tunc primum dicitur Minerua nauim feciſſe, quæ Argos appellata est, cum qua Danaus ex Aphrica Argos profugit. Ægyptus filios suos ad persequẽdum fratrẽ misit. Qui postquã Argos venerunt, patruum impugnare cœperunt. Danaus autẽ vt vidit se eis obsistere nõ posse, dedit

Universidad de Deusto
Biblioteca

eis filias suas, quæ patris iussu viros suos vna nocte interfecerunt: sola Hypermnestra Linū seruauit: ob quod fanum illis factum est. cæteræ vero dicuntur apud inferos in dolium pertusum aquam ingerere. Habet autem Nauis stellas, in puppe quatuor, in cataſtroma quatuor, in malo summo tres, in singulis temonibus quinq;, sub carina quinq;. sunt omnes xxvi.

CETVS.

Diverso posita & boreæ vicina legenti,
Auster pistris agens duo sidera, perlegit vnum.
Namque Aries supra Pistrim Piscesque feruntur:
Bellua sed ponti non multum præterit Amnem.

Porro sub Ariete & Piscibus super fluuiū Cetus in cæli regione collocatus est. Dicitur autem a Neptuno missus ad Cepheum propter inuidiam Nereidis, aqua contra Cassiepeiam & Andromedam exardescebat propter nimiā pulchritudinem. huic Ceto Andromeda proposita erat, quem Perseus interfecit, & ab Ioue astris illatus est, vt memoria actus maneret. Habet autem stellas, in caudæ extremo claras duas, a cauda vsque ad gibbum eius sex, sub ventre sex. sunt omnes xiiii.

ERIDANVS FLVVIVS.

Planxere ignotis Asia Phaëtontidas vndis
Eridanus medius liquidis inter iacet astris.
Huius pars vndæ leuum ferit Orionis
Lapsa pedem, procul a motis qui Piscibus vsus,
Vincula coniecta nodus: cristam super ipsam,
Æquore Pistris adit. sunt illis libera cælo
Sidera, nonnullam specie reddentia formam:

Sub

Sub Leporisque latus, versam post denique puppim,
Inter & Eridanum, flexumque cauumque carina.
Atque hæc ipsa notat, si nullam ferre figuram,
Sunt etiam toto sparsi sine nomine mundi
Inter signa ignes etiam, quibus & sua desit
Forma, per oppositi noscuntur lumina signi.

Fluvius, vt superius diximus, subter Cetum collocatus est. cæli regione cernitur, ad quam siniſter Orionis pes extenditur. Ab Arato & Pherecyde Eridanus Padus esse putatur: & ideo inter astra collocatus, quod a meridianis partibus dirigere cernitur. Hesiodus autem dicit eum inter astra collocatum, propter Phaëthonta, Solis & Clymenes filium, qui dicitur currum patris ascendisse. Cumque a terra altius leuaretur, præ timore in Eridanum fluuium, qui & Padus dicitur, cecidit, ab Ioue fulmine percussus: & omnia ardere cœperunt: causaque extinguendi vniuersos amnes immissos esse, omneque mortalium genus interiisse, præter Pyrrham & Deucalionem. Sorores quoque Phaethontis flentes, in arbores populos versæ sunt, lacrymæque earum in Electrum durare dicuntur, Heliadesque appellatæ. ipsas autem nomina habuisse, Merope, Helie, Ægle, Ægiale, Petre, Phœbe, Chætie, Dioxippe. Cycnus quoque rex Liguriæ Phaethontis propinquus dū fleret, in Cycnum conuersus est: id quoque monens flebile canit. A quibusdam vero Nilus, qui & Gion existimatur, & ideo inter sidera collocatus, quod a meridianis partibus cursum dirigat. Est autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

sidus multarum stellarum luce adornatum, & subiacet ei stella quæ vocatur Canopus, siue Ptolemæon splendens: tangitque temonem Nauis. apparet autem humillima, eo quod circa terram esse videtur, & nullum sidus inferius apparet, ob quod terrestris vocatur. Habet autem stellas, in primo flexu quatuor, in secundo tres, in tertio tres, vsque ad nouissimum septem, quas dicunt in ore Nili fluuij esse. sunt omnes XVII.

PISCIS.

INFIMVS *Hydrochoos sed qua vestigia figit.*
Sunt aliæ stellæ, qua caudam bellua flectit.
Quaque caput Pisci, media regione locatæ:
Nullum nomen habent, nec causam nominis vllam:
Sic tenuis cunctis iam pene euanuit ardor:
Nec procul hinc dextra diffundit Aquarius vndas,
Atque imitata cadunt errantis signa liquoris.
E quibus vna magis sub cauda flamma vehetur
Squammigeræ pistrix: pedibus subit altera signi
Fundentis latices: est & sine honore corona,
Ante Sagittiferi multum pernicia crura.

PISCIS magnus, cuius nepotes dicuntur Pisces qui in circulo zodiaco constituti sunt, dicitur in astra collocatus, eo quod decidens in Boeth stagno, Phacetis filia Veneris, in Piscem sit transfigurata, quam Syri deam nominauerunt. Quidam autem dicunt quod de stagno filiam Veneris saluauerit. Vnde vsque hodie Syri Pisces argenteos in templo sacrauerunt. Est autem signum in parte australi, quod Piscibus orientibus oritur, quem Piscem dicũt Aquarij vrnæ

vrnæ habere effusionem. Habet autem stellas XII. e quibus vna fertur esse sub pedibus Aquarij, & tres in brachiis eius. Ipsæ autem clariores esse cæteris noscuntur. Inter hæc sunt astra siue signa quæ Planetæ appellantur.

OCEANVM *occasu tangit tanto & magis ortu,*
Thuribulum meta vim calo suscipit, & iam
Præcipiti tractu vastis dimittitur vndis.
Multa dedit natura homini rata signa salutis,
Venturamque nouis cladem depellere suasit.
Inter certa licet numeros sub nocte cauenda,
Thuribulum. nam si fordebunt cætera cæli
Nubibus obductis, illo splendore timeto,
Ne pacem pelagi soluat violentior auster.
Tunc mihi siccentur astricto cornua velo,
Exigat, emittatque latus per inane rudentes.
Quod si deprensa turbauit lintea puppis,
Incubuitque sinu laxo, vel mergitur vndis
Prona ratis, soluetque inimicum Nerea prora:
Vel si perspexit seruator Iuppiter æger,
Victima persoluunt iactatæ vota salutis:
Nec metus ante fugit, quam pars effluxerit orbis,
Qua boream calum spectantibus indicet ortum.

SACRARIVM qui & Pharus dicitur, est signum nauigantibus semper cõtrarium, quod sequitur Scorpionis caudam. Quod quidam locatum inter astra dicunt, quod in eo dij primum mutuo coniurationem fecerunt, cum Iouis contra Saturnum fecit, quod memoriæ non solum astris illatum, sed etiam hominibus hoc haberet institutũ, quia in agonibus & ludis quinquennalibus coronæ habentur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& fœderis teſtes adhibentur, itemque vates per quos futura reſpondentur in Sympoſiis domibus conſecrantur: & iure Iupiter ignium ſibi velamen, ne eius fulminum potentia deprehenderetur, adhibuit. Habet ſtellas quatuor, duas in ſuperficie, in qua prunæ fuiſſe dicuntur, duas in vaſe eius.

CENTAVRVS.

INDE per ingentes coſtas, per crura, per armos,
Naſcitur intacta Sompos ſub Virgine dextra,
Seu prædam e ſiluis portat, ſeu dona propinqua
Placaturа deos, cultor Iouis admouet aræ.
Hic erit ille pius Chiro, tutiſſimus omnes
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.
Hic humero medium ſcindens uter alteris alis,
Si tenuem traxit nubem ſtellaue recondit,
Toto clarus equo, uenientes nunciat euros.

CENTAVRVS dicitur Saturni & Philyræ filius. nam Saturnus cum Iouem filium quæreret in Thracia, cum Philyra Oceani filia in equum verſus dicitur concubuiſſe, & ex ea Chironem Centaurum natum artis medicinæ inuentorem, ipſamque in arborem φιλυρεαν, hoc eſt tiliam verſam eſſe, & habitaſſe Chironem in Pelio monte inter homines æquiſſimum, a quo Æſculapius medicina, Achilles cithara, in aſtrologia Hercules literis inſtructi ſunt: cuius hoſpitio cum Hercules vteretur, ſicut Antiſthenes dicit, e pharetra ſagitta lapſa dicitur pedem eius vulueraſſe, acceptoque vulnere illum animam exhalaſſe, & ab Ioue aſtris illatũ. eſt autem ſignum ad aſpectum

ctum Sacrarij. Vnde & ad idem Sacrarium ſacrificare videtur. Habet ſtellas in capite obſcuras tres, in ſingulis humeris ſingulas claras, in dextro cubito vnam, in eadem manu vnam, in medio pectore vnam, in ſpina duas, in vẽtre ſplendidas duas, in dextro lumbo claram vnam, in cauda tres, in ſingulis genibus retrorſus duas, in vtroque armo vnam, in vtrisque pedibus anterioribus ſingulas. fiunt omnes XXXIII. Quidam arbitrantur tenere in ſiniſtra manu arma & Leporem: in dextra vero beſtiolam quæ Ἡνίοχον appellatur, & βότρυν, id eſt vtrem vini plenum, in quo libabat diis in Sacrario. Habet autem ſtellas beſtiola, in capite vnam, in ſpina claram vnam, in cauda duas, in ſummo pede poſteriore claram vnam, in anteriori pede vnam claram, in thyrſo tres. ſunt omnes XXXIII.

HYDRA.

HIC primos ortus Crater premit vlterioris,
Vocalis roſtro Corui ſuper Hydraque lucet.

HYDRA, ſuper cuius caudam Coruum ſedere dicunt, & in medio Vrnam aſſerunt, eſt ſignum in parte auſtrali, caput deflexum habens ad Cancrum, cuius ſinuoſi corporis medietas eſt connexa ſub Leone, caudam vero extendit ad Centaurum, ſupra quam ſedet Coruus: qui Coruus ideo inter aſtra collocatus dicitur, eo quod fuerit in tutela Apollinis, a quo miſſus ad fontem, vt diis ad libandum aquam deferret: cum vidiſſet arbores groſſos ficus habentes, volans conſedit in eis donec maturæ fierent, & aquam deferre diſtulit: poſt paucos autem dies

Universidad de Deusto
Biblioteca

peracto sacrificio, cum ille ficos comedisset, & se diis peccasse sensisset, denuo ad fontem vt aquam hauriret rediit, & ab Hydra exterritus vas vacuum reportauit, dicés excessisse aquam, quæ fuerat in fonte. cognoscens Apollo sibi Coruum peccasse, prohibuit eum eo tempore aquam bibere, vt Aristoteles dicit in eo libro, qui de Bestiis scribitur. Et Isidorus in naturalibus, vel in physicis memoriæ tradidit, quod ipse peccati pœnas daret, qui & postea astris illatus est. Crater autem in medio angue positus est: caudam autē anguis Coruus appetit rostro, neque potest iuxta accedere vt bibat. Habet anguis stellas in capite, claras tres, in prima flexura sex, & vna ex eis obscura ad vltimum: in secūda flexura tres, in tertia quatuor, in quarta duas, in quinta vsque ad caudam octo claras. fiunt omnes XXVI. Paululum sub prima flexura Crater siue Vrna situs est, inclinatus ad genua Virginis. Habet stellas in labris obscuras duas, per singula latera tres, in fundo duas. sunt omnes x. Coruus autem qui est ad vltimam eius caudam, spectans ad occasum, habet stellas, in capite claram vnam, in ala duas, in cauda tres, in pedibus singulas ab vnguibus. sunt omnes sex. omnes simul fiunt XXXXIII.

* *

ÆTHERIVM venit thalamūs super imbribus atrū,
Et tonitru crebraque abscondit grandine terras.
Temperat in Geminis annum, nec crede sereno,
Nubila nec diuturna putes cum sidere Cancri
Fons erit ardentis, tamen hoc in littore certum.

Fla-

Flagrantis placide lucens hic temperat annum.
Cum posuit sedem Nemeæis finibus astrum,
Virgineque & Libra, semper pendentia tantum
Nubila continua magis in statione manebunt.
Nunc quoque nulla fides cælum cum Scorpion acer
Stat super: incerta nanque omnia lege feruntur:
Heu quantis terras tum Iuppiter ignibus omnes
Obruet, aut glomerata cadet quam densa per æra
Immitis grando cælo, quam sæpe sonabit,
Cum spatium attigerit tendentis singulaque ignis,
Non terris imbres, ponto non flamina deerunt,
Et cæli terret sonitus, mortalia corda,
Cum sedem Ægoceri Cytherea attigit ignis.
Horridus at gelidos portendit Aquarius ignes,
Hibernæque cadunt pluuiæ, concretaque grando.
Piscibus a geminis sub prima recurrerit astra,
Hesperus, hæc tibi signa feret, cum lucifer ora
Ingreditur Venus alma polum: sed vbi Hesperus ignes
Pronocat æthereos, & noctem ducere terris
Incipit, exoriens ecce hæc Cytherea mouebit.
Vere caueto imbres, & fulmina culmine ab alto,
Phryxeum rutilo pecus irradiauerit astro
Nubila, commixtusque fragor pluuialibus vndis,
Flaminaque assiduo terris tum stantia pulsu.
E cælo dirs delecti grandinis ictus,
Vere magis nitido Tauri cum sidere fulsit.
Appota Geminis eadem constantia præstat,
Cum dederit soles, inducit nubila cælo:
Nubila cum fuerint, subitos mirabere soles:
Et modo te vento gelido, modo protinus imber
Lucens alterna superabit nube serena.
Sin leuis ingressa est spacioso sidera Cancri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pacem mundus habet, non nulli corpore sola
Pestiferi incendunt, non sidera densa solutos
Astringunt artus: alieno tempore lenis
Omnia pacato tum sidere temperat aër.
Aut rapidis idem ne solibus æstuet orbis,
Efficient magni conspectu signa Leonis.
Virgine erunt pluuiæ, plerique in nube fragores,
Concaua quos reddunt incluso nubila uento.
Detrahit autumno pluuias, eademque repellit,
Nubibus assiduis, cælumque ob frigora prima,
Extremum autumni superent glacialia terra.
Scorpios at rauis ne quis cana terra grauetur,
Horrebit pluuiis ad diros omnia nimbos.
Continuosque ruit, cum per sinuosa tenetur
Cornua Centauri rapida distincta sagitta.
Ægoceros imbres, & crebro lumine ruptos
Nubibus eludet sonitus, tremuloque nitore
Flagrantis tela mortalia numina uincent.
Hæc eadem fundens prædicit Aquarius imbrem.
Extremis æuis maria increbrescere uentis.
Ostendunt Pisces Veneris quos stella notarit.
Et quoniam certis exstat uia cognita signis,
Accipe quid moneat mundo Cyllenius ignis,
Si modo Phœbei flammas euaserit axis,
Mutatina ferens solitos per sidera cursus.
Cum pecudum uillis auratum fulserit astrum,
Ventorumque graues, & diræ grandinis ira,
Non intermisso patienti tempore surgent.
Quin pluuias alias etiam in regione notabis
Assore non omnis: nanque est tunc imber in aruis.
Ast ubi se Taurus sinuatis cornibus effert,
Grandine significat. Geminis tranquilla sereni

Et placidum nautis spondet cælumque fretumque,
Nubila atque imbres, æstus ac frigora miscet.
Certior ardor erit, quamuis inuet aura fauonI,
Cum uasti calida radiabit sede Leonis.
Templa sed ætherei simul ac possederit ignis,
Omnia mixta feret, pluuias meditabitur ingens,
Vndique grando uenit, rumpuntur culmina nimbis.
Centauri attigerit cum iam Cyllenius arcus,
Aut ubi consurgit Capricornus & ipse biformis,
Aut subitos cælo deducet crebrius imbres,
Fulminis aut iactu magnum perrumpit Olympum.
Nulla serenato Capricornus nubila cælo
Comparat, aut gelidos flatus, cælique fragores.
Non alio melius signo prædicere possis.
Piscibus hæc eadem quamuis cognoscere fas sit,
Quandoquidem exoritur mundo Cyllenius ignis.
Quid faceret primum modo cum lumine Solis,
Tempus & occasus moneat quoque discere Phœbi.
Ver erit hibernis totum exsecrabile nimbis,
Et crebro tonitru iunget florentia rura,
Spesque nouæ segetis quatientur grandinis ictu,
Vretur cælum, magni cum regna tonantis
Ingrediens pecudis ingreditur aurea terga,
Hinc & Agenorei stellantia cornua Tauri,
Quidue ferant Gemini, rapido quid sidere Cancer,
Si penitus quæras: Taurum seuire uidebis,
Grandine nec contra ferri ratione probanda,
Aut Cancro, aut Geminis: calidus uestigia seruat.
Hic quo dicta Leo sæuisque caloribus ardet.
Flatus at Geminis miscet tranquilla serenis,
Spicifera que manu tendenti libera nutu
Dissentit diua: sed ut hæc uentura serena

Nunciat, & ventis ceſſat mare, ceſſat & aër.
Scorpios in pluuias rarus, ſed nubibus atris
Creber agit nimbos: & ſæua tonitrua portat,
Clara Sagittiferi tetigit cum lumina ſigni.
Æquoreo ſemper cælo leuis excidit imber.
Frigidus at rapidis horrebit Aquarius euris,
Brumalesque dabit pluuias, atque igne perennis
Cum ſoliis quatiet nubes ſecura laboris,
Non fruſtrans animum certo me limite ducat.
Hæc eadem tibi ſigna dabunt non irrita Piſces.

SOLEM per ſeipſum conſtat moueri, non cum mundo verti, ſed in zodiaci circuli obliquitate curſum peragrare, paulo ſuperius diximus: qui cum per trecentos ſexagintaquinque dies, & quadrantem, zodiacum luſtret, & ſingula tricenis diebus denisque horis ac ſemiſſe, id eſt dimidia hora, transcurrat incremento dimidiarum horarum quarto anno vnũ diem complet, quem biſſextum nuncupant, qui dies conficitur ex quadrantibus. Nam cum duodecies ſemis ſex horas integras faciant, id eſt quadrantem, hic quadrãs quater ductus vigintiquatuor horas perficit: idem vnum diem cum ſua nocte complet, & in quarto biſſextum, vt præfati ſumus, efficit. Sol interea dum igneus ſit, præ nimio motu conuerſionis ſuæ amplius incaleſcit. cuius ignem dicunt philoſophi aqua nutriri, & e contrario elemento virtutem luminis & caloris accipere: vnde videmus eum ſæpius madidum atque rorantem. Tunc autem eclipſin patitur, quod Latine defectio dicitur, quoties Luna xxx. ad eandem lineam qua Sol vehitur, per-

peruenit, eique ſe obiiciens cum obſcurat, vnde deficere nobis videtur, cum ei orbis Lunæ opponitur. Signa enim tempeſtatis vel ſerenitatis hoc modo aſtrologi mundi cognoſcenda eſſe dixerunt. Virgilius nanque ait, Si Sol in ortu ſuo maculoſus ſit, atque ſub nube latens: aut ſi dimidia pars eius apparuerit, imbres futuros. item Varro ait, Si exoriens concauus videtur, ita vt e medio fulgeat, & radios faciat, partim ad aquilonem, partim ad auſtrũ, tempeſtatem humidam & ventoſam futuram innuit: item, ſi Sol inquit, rubeat in occaſu, ſincerus dies erit: ſi palleat, tempeſtatem ſignificat. Nigidius quoque ait, Si pallidus Sol in nigras nubes occidat, aquilonem ventum ſignificat. Hunc etiam Græci Apollinem appellauerunt, a quo ſe ſpiritum accipere arbitrantur. ἀπολλύων enim Græce, Latine perdens dicitur, quod feruore ſuo omnem ſuccum virentium decoquendo perdat herbarum. Hunc etiam diuinationis deum eſſe voluerunt, ſiue quod Sol omnia obſcura manifeſtat in luce, ſiue quod in ſuo proceſſu, & occaſu eius orbita multimodos ſignificationum monſtret effectus. Sol dicitur, aut ex eo quod ſolus ſit, aut quod ſolito per dies ſurgat & occidat. Hunc etiã ſine barba pingunt, quia occidendo & naſcẽdo ſemper eſt iunior, ſiue quod nunquam in ſua virtute deficiat, vt Luna quæ creſcit aut minuitur. Huic quoq; illam ob cauſam, quod aut quadripartitis temporũ varietatibus anni circulum peragat, id eſt veri, æſtatis autũni, & hiemis: aut quod quadripartito limite

Universidad de Deusto
Biblioteca

diei metitur ſpacium. Vnde & ipſis equis condigna nomina poſuerunt, id eſt Erythræus, Æthon, Lamptos, & Philogæus. Erythræus Græce ruber dicitur, quod a matutino lumine rubicundus exſurgat. Æthon lucidus dicitur, quod tertia hora inſtãte lucidior fulgeat. Lamptos vero lucens vel ardẽs dicitur, quod ſit dum ad vmbilicum diei contra arcticum conſcenderit circulum. Philogæus Græce terram amans dicitur, quod hora nona procliuior vergens occaſui pronus incumbat.

Lvna terris vicinior eſt quã Sol, ſiue quam cætera errantia ſidera. Vnde & breuiore orbe celerius peragit curſum ſuum. Nam iter quod Sol trecentis & ſexagintaquinque diebus & ſex horis peragit, Luna vigintiſeptẽ diebus & octo horis percurrit. ſingula vero ſigna Sol tricenis diebus & denis horis ac ſemiſſe. Luna autem binis diebus, & ſemis hora, beſſe vnius, perlabitur. Vnde fit vt quantum ſpatij in zodiaco Luna percurrit, tantum Sol tredecim diebus expleat. Hanc quidam philoſophorum dicunt proprium lumen non habere, globique eius vnam partem eſſe lucifluam, aliam vero obſcuram & paulatim ſe vertendo diuerſas formas efficere. Alij contra aiunt, Lunam globum ſuum habere, ſedignem a Sole concipere, & quãtum percutitur ardeſcere, & quantum a Sole diſcedit augeri. Cum vero contra ſteterit, feritur ex aduerſo & velut ſpeculum, non vim, ſed imaginem reddit, vnde & defectum patitur, ſi inter ipſam & Solem vmbra terræ interueniat. Hac enim

enim creſcente vniuerſa gignentia pubeſcunt, tenueſcente tenuantur: humor etiam & ſpiritus omnis augeſcit, tumeſcit oceanus. quod diuerſo cæli & vagantium ſtellarum temperatur, atque deteritur & infra fluit, id excipit Luna & Soli tradit. quo & animalia vigeſcunt, & hũmus quodammodo animatur genitali calore, & vt ita dixerim, viua plurimum valent in originibus quam in ortu ſunt: languent in occaſu. Ortum facit in ſtella quam Sol præterit, deinde ſtatione matutina cum a quinto loco Solis ſteterit, in eodem manet ſigno, donec ab eodem Sole moueatur, quæ contraria eſt Soli. mane occidit, oritur ſimul nocte, & vocatur Chronicos. Deinde rurſus altero latere, a quinto ſigno deprehenſa poſtmeridiana, ſtationem facit, donec ingreſſo Sole idem ſignum ſub radiis eius deliteſcens in totum occidat. Aſpiciunt inter ſe ſtellæ ex tertio ſigno quod dicitur Trigonum, & habent maxime confuſionem: item a quarto ſigno, quod Tetragonon & Centrum vocatur, & in alterutrum maxime præſtant effectũ. item ex contrario, quod eſt ſeptimum ſignum & Diametron vocatur, quæ maxime aduerſum cętera diſident. vel leuiter aſpiciunt, vt ſextum quod dicitur Hexagonõ. Signa tropica peregrinis nationibus prę-ſunt, & omnino motibus & conſiliis ſubinde variantur, atque permutãtur. Biformia generatione, rerum omnium repetitionem ſignificãt, & interim dilationem. Solida vehementer & inſtanter efficiunt, & ad exitum vel proſpera

vel aduersa perducunt, sicut aspiciuntur a stellis, vel fauentibus, vel repugnantibus. Iam vero quia de eius cursu vel ordine sub breuitate diximus, restat vt quid de ea Gentiles senserint edicamus. Lunam gentiles Dianam germanam Solis, quem Apollinem nuncupabant, fuisse dixerunt, & sicut a Sole spiritum, ita se a Luna corpus accipere arbitrabantur. Dicebant enim eam viarum præsidem, & virginem, eo quod in via nihil pariat. ideirco igitur ambo sagittas habere dicuntur, quod ipsa duo sidera de cælo radios vsque ad terram emittant, ideo faces, quia Luna illuminat, Sol & illuminat & exurit. ideo bigam Luna dicitur habere, siue propter velocitatem, siue pro eo quod nocte & die apparet. ideo vnum Equum album & alium nigrum dicitur habere, eo quod hieme & æstate plus luceat quam vere & autumno. Diana autem Luna dicta est, quasi diana, eo quod die ad nocte apparet ipsa, & Luna eo quod luceat, & Triuia eo quod tribus fungatur figuris, de qua Virgilius ait, Tria virginis ora Dianæ. nam eadem Luna, eadem Diana, eadem Proserpina vocatur, id est cælestis, terrestris, & infernalis. De qua quidam. Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu: Cum succincta iacet calamis, Laronia virgo est. Lunam voluerunt etiam apud inferos Proserpinam, seu quod nocte luceat, siue quod humilior currat & terris præsit: vnde bigam boum habere dicitur, illo videlicet pacto quod detrimenta & augmenta non so-

solum terra, sed & lapides vel cerebra animantium, & quod magis incredibile sit, etiam lætamina sentiunt, quæ in Lunæ incrementis eiecta vermiculos parturiant. Ipsam Dianam ortam nemoribus volunt, simili modo quod arborum ac fruticum succo augmenta inducat. Denique crementis Lunæ abscissa ligna furfuraceis tinearum terebraminibus fistulascunt. Nemoribus quoque adesse dicitur, quod omnis venatio plus nocte quam die dormiat. Endymionem vero pastorem amasse dicitur, duplo scilicet modo: seu quod primus hominum Endymion cursum Lunæ inuenerit, vnde & triginta annos dormisse dicitur: quia nihil aliud in vita sua, nisi huic repertioni studuit, sicut Mnaseas in primo libro de Europa scribens tradidit: siue quod Endymionem amasse fertur, quia nocturni roris humor, qui est siderum, quique ipsius Lunæ animandis herbarum succis insudetur, & pastoralibus prosit successibus. Præterea signa tempestatis vel & serenitatis in ea videri posse antiqui dixerunt. Nigidius ait, si Luna in summo circulo maculas nigras habuerit in primis partibus mensis, imbres futuros significat: Si in medio, nūc cum plena sint in eo corniculæ, serenitatem. Cæterum si rubet quasi aurum, ventos ostendit. fit enim ventus ex aëris densitate, qua obducti Sol & Luna rubescunt. itē si cornua eius tetra fuerint nebula, tēpestas futura est. Aratus autē dicit, Si aquilonij cornu Lunæ est porrectius, aquilonij imminere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item si cornu australe sit erectius, notum imminere. Quarta autē Luna index futurarū certissima habetur aurarum. Vnde & Vergilius, Si in ortu quarto: namque is certissimus auctor.

A BRVMA in fauonium CÆSARI nobilia sidera, significant. III. cal. Ianuarias matutino Canis occidens, quo die Atticæ & finitimis regionibus Aquila vespere occidere traditur. Pridie nonas Ianuarias Cæsari Delphinus matutino exoritur, & postero exoritur Fidicula, quādo Sagitta vesperi occidit. Item quinto idus Ianuarias eiusdem Delphini vespertinus occasus & continui dies hiemis Italiæ, cum Sol in Aquarium sentitur trāsire, quod fere XVIII. cal. Febr. euenit. VIII. Febr. Regia stella appellata Tuberoni, in pectore Leonis occidit matutino, & pridie non. Febr. Fidicula vesperi occidit.

A Fauonio in æquinoctium Cæsari significant IIII. calen. Mart. quatriduum varie, & VIII. calen. Mart. hirundinis visus, & postero die acturi exortus vespertinus. Item nonas Mart. Cæsar Caneri exortu id fieri obseruauit. VIII. Idus Mart. aquilonis Piscis exortus, & postero die Orionis exortus, & in Attica Miluus apparere obseruatur. Idibus Martiis Cæsar ferales sibi notauit Scorpionis occasus. III. cal. Aprilis Italiæ Miluus ostenditur. XII. cal. Apriles Equus occidit matutino.

Æquinoctium vernum VIII. cal. Aprilis peragi videtur. Ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum Cæsari significant. III. non. April. in Attica Vergiliæ vespere occultantur. Item post

post pridie nonas Apriles in Bœotia & Chaldæis Orion & gladius eius incipiunt abscondi. Cæsari VI. Idus Aprilis significat imbres Libræ occasus. XIIII. cal. Maias fuculæ occidunt vespere, sidus vehemens, & terra marique turbidum. XVI. cal. Maias, in Attica occidunt vesperi, Cæsari. XV. cal. Mai. quatriduum significant. XII. cal Mai. Assyriis fuculæ occidunt vesperi, quod vulgo appellatur sidus patilicium, quoniam XI. cal. Maias vrbis Romæ natalis habetur, quo fere serenitas redditur. claritatem obseruationis membrorum augmento, Hyadas appellantibus Græcis, quod nostri a similitudine cognominis vocabulum eis stellis propter succos impositum arbitrantur: imperiti appellauere Succidas. Cæsari VIII. cal. Maias notantur dies. VII. cal. Maias Ægypto Hœdi exoriuntur. VI. cal. Mai. Bœotiæ & Atticæ Canis vespere occultatur, & Fidicula mane oritur. V. cal. Maias, Assyriis Orion totus absconditur. Quarto autē cal. Maias Assyriis Canis. VI. non. Maias Cæsari Suculæ matutino exoriuntur, & VIII. Idus Mai. Capella plutialis. Ægypto autem eodem die Canis vesperi occultatur. Sic fere in VI. Idus Mai. qui est Vergiliarum exortus, decurrunt sidera.

A Vergiliarum exortu significant Cæsari post pridie Idus Mai. Arcturi occasum matutinum. III. idus Mai. Fidiculæ exortus. XII. cal. Iunias Capella vesperi occidit: & in Attica Canis. XI. cal. Iunias Cæsari Orionis gladius occidere incipit. III. non. Iunias Assyriis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aquila oritur vesperi. VII. idus Iunias Arcturus matutino occidit Italiæ. IIII. idus Iunias Delphinus oritur in Ægypto. XI. cal. Iulias eiusdem Orionis gladius Cæsari occidere incipit. VIII cal. Iulias, longissimus dies totius anni, & nox breuissima Solstitium conficit.

A Solstitio ad Fidiculæ occasum, VI. cal. Iulias Cæsari Orion exoritur: Zona autem eius Assyriis. IIII. non. Iulias. Ægypto vero eadem die Procyon æstuosus matutino oritur: quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi Canicula, quam volumus intelligere minorem Canem, vt in astris pingitur, ad astum maxime pertinens, sicut paulo post docebimus. IIII. non. Iulias Chaldæis corona occidit matutino. Atticæ Orion totus eadem die exoritur. Pridie idus Iulias, Ægypto Orion desinit exoriri. XV. calen. Augustas, Assyriis Chiron exoritur. Deinde post triduum fere vbique confusum inter omnes sidus, indicans quod Canis ortu vocatus, Sole partem primam Leonis ingresso cum fit Solstitium: quod sidus accendit Solem & magnam æstus obtinent causam. XVI. cal. August. Ægypto Aquila occidit matutino, Etesiarumque Prodromi flatus incipiunt, quod Cæsar X. cal. August. sentire Italiam existimauit: Aquila Atticæ matutino occidit. VIII. idus August. Arcturus medius occidit. III. idus Aug. Fidicula occasu suo autumnum inchoat. aut annotat. sed vera ratio id fieri inuenit pridie idus August. Equus oritur vesperi, & Cæsari. Ægypto Delphinus occidit. XI. cal. Septem-

Septembres Assyriis stella, quæ Anteuindemiator appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens, cuius argumento erunt agni colore mutati, & Assyriis quinto cal. Septemb. Sagitta occidit, Etesiæque desinunt. Anteuindemiator Ægypto nonis Septembribus oritur. Atticæ Arcturus matutino, & Sagitta occidit mane. V. idus Septemb. Cæsari Capella oritur vesperi: Arcturus vero pridie idus Septemb. imbres vehemētissimos significat, terra marique. Ratio eius hæc traditur, si Delphino occidente imbres fuerint, non defuturi sunt per Arctu. eius signi ortum seruat hirundinum habitus. nanque deprehensæ intereunt. XVI. cal. Octob. Ægypto Spica quam tenet Virgo, oritur matutino, Etesiæque desinunt. XI. cal. Octobres commissura Piscium occidit, ipsumque Equi sidus VIII. cal. Octob. III. cal. Octobr. Hœdi oriuntur. cal. Octobribus Capella matutino exoritur. VI. nonas Octobr. Atticæ Corona exoritur mane. V. nonas Octob. Heniochus occidit matutino. IIII. non. Octob. Cæsari Corona exoriri incipit, & pridie non. occidunt Hœdi vesperi. VIII. idus Octobr. Cæsari fulgens in Corona stella exoritur. & tertio idus Vergiliæ vesperi exoriuntur. XVIII. calend. Nouembr. Succulæ vesperi oriuntur. Pridie calend. Nouembr. Cæsari Arcturus occidit, & Succulæ exoriuntur cum Sole. quarto nonas Nou. Arcturus occidit vesperi, & idus Nou. Atticæ Vergiliæ occasu suo hiemem inchoant. Quinto idus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orionis gladius occidere incipit. Deinde III. idus Vergiliæ occidunt, occasum matutinum Vergiliarum Hestodes. natura huius quoque nominis Hestodis astrologiam tradidit fieri.

In æquinoctio autūni cōfitetur quod Thales XXV. die ab æquinoctio, Anaximander, XXXI. Euctemon XLVIII. nos autem sequentes obseruationem Cæsaris, XLV. die ab æquinoctio dicimus fieri.

Ante omnia autem duo esse nomina cælestis iniuriæ meminisse debemus. Vnum quod Tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque similia intelliguntur, quæ cum plenilunio acciderint, vi maiore impelluntur. Hæc ab horridis sideribus exeūt (vt iæpius diximus) veluti Arcturo, Orione, Hœdis. Alia sunt illa quæ silente cælo, serenis noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cum facta sunt publica: & magnæ sunt differentiæ a prioribus, aliis rubiginem, aliis vredinem, aliis caliginem impellentibus: omnibus vero sterilitatem. De his nunc dicemus, quæ ante nos a nullo sunt prodita. Prius causas reddemus eorum quæ sunt præter lunarem, & quæ paucis cæli locis constant. Nanque Vergiliæ primatum tenent ad fructus, quarum exortu æstas incipit, occasu hiems semestri spacio intra se, & messes vindemiasque, & omnium maturitatem amplexantur. Est præterea in cælo qui vocatur Lacteus circulus, etiam visu facilis: huius defluuio velut ex vbere aliquo fata cuncta lacteſcunt, duorum siderum obseruatione: Aquilæ in septentrionali

trionali parte, & in austrina Caniculæ, cuius mentionem suo loco fecimus. Ipse circulus fertur per Sagittarium & Geminos, solis centrum infra æquinoctialem circulum secans, commissuras eorum obtinente, hinc Aquila, illinc Canicula. ideo effectus vtriusque ad omnes frugiferas pertinet terras, quoniam in his tantum locis solis terræque centra congruunt. Igitur horum siderum diebus, si purus atque mitis aër genitalem illum lacteumque succum transmiserit in terras, læta adolescunt fata: si luna qua dictum est ratione roscidum frigus asperserit, admixta amaritudo, vt in lacte puerperium necat. Modus in terris huius iniuriæ, quam fecit in quacunque conuexitate comitatus vtriusque causæ, & ideo non pariter in toto orbe sentitur, vt nec dies. Aquilam diximus in Italia exoriri XIII. calen. Ianuarias: nec patitur ratio naturæ quicquam in satis ante eum diem spei esse certæ. Si vero interlunium incidat, omnes hibernos fructus lædi necesse est. Rudis fuit priscorum vita, atque sine literis, non minus tamen ingeniosam fuisse in illis obseruationem apparebit, quam nunc esse rationem. Tria nanque tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos: Rubigalia, Floralia, Vinalia. Rubigalia Numa constituit anno regni sui XI. quæ nunc aguntur, ad VII. cal. Maij. quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat, Sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio: sed vera causa est, quod post dies XIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab Æquinoctio verno, per id quatriduum varia gentium obseruatione. In quarto calend. Maij Canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui prœoccidere Caniculam necesse sit. idem itaque Floralia quarto cal. eiusdem instituerunt, vrbis anno DXVI. ex oraculis Sibyllæ, vt omnia bene defloresceerent. Hunc diem Varro determinat, Sole Tauri parte quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduũ inciderit plenilunium, fruges & omnia quæ florebũt lædi necesse erit. Vinalia priora quæ ante hos dies sunt, IX. cal. Mart. degustãdis vinis instituta, nihil ad fructus attinent, nec quæ adhuc diximus, ad vites oleasque, quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit, ad sextum Idus Maij, vt docuimus. Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint. exhorrent enim frigidum sidus Arcturi postridie occidens. & multominus plenilunium incidere. Quarto nonas Iunias iterum Aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis vitibusque, si plenilunium incidat in eum, equidem & solstitium octauo calend. Iunias in simili casu dixerim & Canis ortum post dies a solstitio XXIII. sed interlunio accidente, quoniam vapore constat culpa, acinique præcoquuntur in callum. Rursus plenilunium nocet ad quartum nonas Iulias, cum Ægypto Canicula exoritur, vel certe XVI. cal. August. cum Italiæ, item quarto calend. August. cum Aquila occidit, vsque in X. calend. eiusdem. Extra has causas sunt Vinalia altera quæ aguntur XIII. cal. Septemb. & Varro, a Fidicula incipien-

piente occidere mane determinat: quod vult initium autumni esse, & huc diem festum tempestatibus leniendis esse institutum. Nunc Fidiculam occidere sexto Idus Aug. obseruatur. Intra hæc constat cælestis sterilitas: neque negauerim posse eam permutari arbitrio legentium locorum æstimantium naturas, sed a nobis rationem esse demonstratam satis est: reliqua obseruatione cuiusque cõstabunt. Alterutrum quidem fore in causa, hoc est plenilunium, aut interlunium, non erit dubium, & in hoc mirabilem admirari benignitatem Naturę succurritiam: primum hanc iniuriam omnibus annis accidere non posse, propter statos siderum cursus, nec nisi paucis noctibus anni: idque quando sit futurum facile nosci: ac ne per omnes menses timeretur, earum quoque lege diuisum æstate interlunia, præter quam biduo secura esse hieme plenilunia, nec nisi ęstiuis breuissimisque noctibus metui: non diebus item valere. Præterea tam facile intelligi, vt formica minimum animal interlunio quiescat, plenilunio & etiã noctibus operetur. Auem Param oriente Sirio ipso die non apparere, donec occidat. e diuerso Virionem prodire ipso Solstitij die. Neutrum vero Lunæ statum noxium esse, ne noctibus quidẽ nisi serenis, & omni aura quiescente: quoniam neque in nube, neque in flatu cadunt rores: sic quoque non sine remedio. Sarmenta aut palearum aceruos, & euulsas herbas, fruticesque per vineas camposque cum timebis, incendito. fumus medebitur:

hic e paleis & contra nebulas auxiliatur, vbi nebulæ nocent. Quidam tres cancros viuos cremari iubent in arbustis, vt carbunculi non noceant. Alij siluri carnem leuiter vri a vento, vt per totam vineam fumus dispergatur. Varro auctor est, quod si Fidiculæ occasu, quod est initium autumni, vna pica consecretur inter vites, minus nocere tempestates. Archibius ad Antiochum Syrię regem scripsit, si fictili nouo obserata obruatur rubeta rana in media segete, non esse noxias tempestates.

VERTICES extremos circa quos cæli sphęra voluitur, Polos nuncupauere, e quibus vnus est septętrionalis, qui boreus appellatur, qui nunquam occidit. Alter australis, qui terræ obiectus a nobis nunquam videtur. Et austronotus dicitur, quam quidam dicũt esse Tethyn Oceani vxorem, nutricem Iunonis, quæ fingitur in Oceano prohiberi occidere. Hæc habet stellas, in capite septem nõ claras, in vtraque aure duas, in armo vnam, in pectore claram vnam, in pede priori vnam, in femore posteriori duas, in pede extremo posteriori duas, in cauda tres. Sunt omnes XX.

VETE-

VETERVM POETARVM ASTRONOMICA FRAGMINA

A IOSEPHO SCALIGERO COLLECTA.

TV forte in luco lentus vaga carmina gignis:
Argutosque inter latices, & musica flabra
Pierio liquidam perfundis nectare mentem.
At nos congeries obruit turbida rerum,
Ferrataque premunt milleno milite curæ.
Legicrepi tundum. latrant fora, classica turbant.
Et tram Oceanum ferimur porro vsque, ninosiu
Quum teneat Vasco, nec parcat Cantaber horrens.
En quibus indicas, vt crinem fronde a Phœbi
Succingant, ederaue comas augustius vmbrent.
En quos flammantem iubeas volitare per Aethram.
Quin mage præueniens Aquilas vis pigra Elefantum
Præcurret, volucremque pigens testudo Molossum:
Quam nos roristuam sectemur carmine Lunam.
Sed tamen, incursus per pondera terrea nitem,
Dicam quur fesso luescat circulus orbe:
Purpureumque iubar niuei quur tabeat oris.
Non illam, vt populi credunt, nigrantibus antris
Infernas vlulans mulier prædira sub vmbras
Detrahit altinago e speculo: nec carmine victa
*Vel rore Stygias * *
Vincibilemque petit clamorem. Quippe per athram,
Qua citimus limes dispescit turbida puris,
Inuiolata meat. Sed vasto corpore Tellus,
Qua medium tenet ima polum, dum lumina Fratris

Universidad de Deusto
Biblioteca

Detinet vmbriferis metis: tum sidere crasso
Palleſcit teros vmbra rota, dum transeat axem
Aggerei velox tumuli. ſpeculoque roſanti
Fraternas reparet per calum libera flammas.
Sed quia mira putas, quur, quum vis maxima Solis
Bis nouies maior clueat, quam terreus orbis,
Non circuncingat terreſtres lumine metas:
Sume ratum rationis opus. nanque aſpice Phœbum,
Quam ſublimis eat conuexa per aurea Mundi,
Quamque humilem terram colluſtret curribus altis:
Hic ingens vtcunque libet vel deſuper ignes
Sparſerit, obliquo vel cum radiauerit axe,
In terram rady franguntur. Catera Solis
Lumina, qua maior iaculis radiantibus exit,
Nil obſtante globo, tendunt per mania vaſta:
Donec Pyramidis peragat victa vmbra cacumen.
Per quam quum Phœbe validos agit vda ingales,
Intima vicinis nonnunquam decolor vmbris
Fratre caret, vacuoque exſanguis deficit ore.
Quur autem ſola ſpolietur lumine Luna,
Nil vero mirum eſt. quippe illam lucis egentem
Lux aliena fouet: quam quum pars proxima meta
Inuidet, exſpectat radios male cærula Fratris.
At chorus aſtrorum reliquus non tangitur vmbris.
Et proprium cunctis inbar eſt, nec Sole rubeſcunt.
Sed ſudum. * * *
Porro vltra Solem rapitur cum vertice cali.
Iam quur ſemenſtri non ſemper palleat orbe,
Inflexi præſtant obliquo tramite curſus.
Nanque vagans errore rato quum deuia tortos
Colligit anfractus, metam Sol eminus exit,
Intorquetque peplum noctis, radiatque ſororem.

Hac eadem ratio eſt, ſubitis quur frangitur vmbris
Auguſti Solis rutilum iubar: indiga lucis
Quando inter terram, & Solem rota corporis alma
Luna meat, fratrem rectis obiectibus arcens.

MENSIVM DESCRIPTIO.

Dira patet Iani Romanis ianua bellis.
Vota Deo Diti februa menſis habet.
Incipe Mars: anni felicia fata reduce.
Tunc Aries Veneri lintea ſerta legit.
Dulcia, Maia, tuis dulcia exagona Nonis.
Arce poli Geminos Iulius ecce locat.
Iulius ardenti diuertit lumina Solis
Aere: flammigero cuncta Leone calent.
Poma legit virgo maturi mitia Solis.
Fundit, & October vina Falerna lacis.
Aret tota ſoli ſpecies vi dura Nepai.
Munde December amat te genialis hyems.

EORVNDEM MENSIVM PICTVRA.

IANVARIVS.

Hic iam menſis ſacer eſt. en aſpice, vt aris
Tura micent: ſumant vt pia tura Lares.
Annorum, ſeclique caput: natalis honorum:
Purpureos faſtis qui numerat proceres.

FEBRVARIVS.

At quem cæruleus nodo conſtringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet auem.
Dedala quem tactu pluuio circumuenit Iris,
Romuleo ritu februa menſis habet.

MARTIVS.

Cunctum pelle Lupa promptum eſt cognoſcere menſem.
Mars olli nomen, Mars dedit exuuias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tempus ver, hœdus petulans, & garrula hirundo
Indicat, & sinus lactis, & herba virens.

APRILIS.

Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis.
Lumen iuris habet, quo nitet alma Ceres,
Cereus & dextra flammas diffundit odoras.
Balsama nec desunt, quis redolet Paphie.

MAIVS.

Cunctas veris opes, & picta rosaria gemmis
Linger in calathis, aspice, Maius habet:
Mensis Atlantigena dictus cognomine Maia.
Quem merito multum diligit Vranie.

IVNIVS.

Nudus membra dehinc solares respicit horas
Iunius: ac Phœbum flectere monstrat iter.
Lampas maturas Cereris designat aristas.
Floralesque fugas lilia fusa docent.

IVLIVS.

Ecce coloratos ostentat Iulius artus.
Crines cui rutilos spicea serta ligat.
Morus sanguineos præbet grauidata racemos:
Qua medio Cancri sidere læta viret.

AVGVSTVS.

Fontanos latices, & lucida pocula vitro
Cerne vt demerso torridus ore bibat.
Aeterno Regni signatus nomine mensis,
Latona genitam quo perhibent Ecaten.

SEPTEMBER.

Surgentes acinos, varias & præsecat vuas
September, sub quo mitia poma tacent:
Captiuam filo gaudens religasse lacertam,
Quæ suspensa manu mobile ludit opus.

OCTO-

OCTOBER.

Dat prensum leporem, cumq; ipso palmite fœtus
October: pingues dat tibi rure aues.
Iam Bromios spumare lacus, & musta sonare
Apparet. vino vas calet ecce nouo.

NOVEMBER.

Carbaseo post hunc artus inductus amictu
Memphidos antiquæ sacra, Deamq; colit.
A quo vix auidus sistro compescitur anser,
Deuotusq; satis incola Memphidiis.

DECEMBER.

*Annua sulcata * conecti semina terra*
Pascit hiems. pluuio de Ioue cuncta madent.
Annua nunc reuocet Saturno festa December.
Nunc tibi cum domino ludere, verna, licet.

EORVNDEM PICTVRA.

Fulget honorificos inductus Mensis amictus
Signans Romuleis tempora Consulibus.
Rustica Bacchigenis intentans arma nouellis
Hic meruit Februi mensis habere Dei.
Martius in campis ludens simulacra duelli
Ducit Cinyphii lactea dona gregis.
Sacra Dioneæ referens solennia matri
Lasciuus crotalis plaudit Aprilis ouans.
Maius Atlantiados gnatæ dignatus honore
Expoliat pulchris florea serta rosis.
Sanguineis ornans æstiua prandia moris
Iunius: huic nomen fausta Iuuenta dedit.
Quintilis mensis Cereali germine gaudens,
Iulius a magno Cæsare nomen habet.
Augustum penitus torret Phaetontius ardor.
*Quem recreat fessum gallo, * fauus melo.*

L

Aequales Libra September digerit horas:
Cum horrifis captum rete ferens leporem.
Conterit October lascivis calcibus uuas:
Et spumant pleno dulcia musta lacu.
Arua Nouember arans, secundo nomine bestia
Cum terit, & sentit pinguis oliua molas.
Pigra situm cunctis commendat Bruma Decembrem,
Cum solers famulis tessera iungit heros.

FRAGMENTVM P. TER. VARRONIS ATACINI, EX CHOROGRAPHIA.

Vidit & aetherio mundum torquerier axe,
Et septem aeternis sonitum dare vocibus orbes
Nitentes alijs alios: quae maxima Diuis
Laetitia fuit: tum longe gratissima Phoebi
Dextera, consimiles meditatur reddere voces.
At quinq; aetheriis Zonis accingitur Orbis.
Ac vastant imas hiemes, mediamq; calores.
Sic terra extremae inter mediamq; coluntur.
Qua Solis calido nunquam rota feruerat igne.
Ergo inter Solis stationem, ac sidera septem
Exporrecta iacet Tellus. Hanc extima fluctu
Oceani interior Neptuno cingitur ora.
Qua * Europa *
Cluditur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

EIVSDEM EX EADEM, SITVS VENTORVM.

Omnivomo Oceano Hyperion fulgurat Euro.
Arcteo plaustro Boreas bacchatur ab Aeno.
Hesperio Zephyro sed Orion voluitur Istro.
Fuluo, acriq; Noto vaga Cynthia prorsit Afro.

QVATVOR TEMPORVM PICTVRA.

Carpit blanda suis Ver almum donaroſetis.
Torrida

Torrida collectis exultat frugibus Aestas.
Indicat Autumnum redimito palmite vertex.
Frigore pallet Hiems designans alite tempus.

Q. CICERONIS DE XII. SIGNIS.

Flumina verna ciet obscuro lumine Pisces.
Curriculumq; Aries aequat noctisq; diiq;.
Cornua quem cernunt florum praenuncia Tauri.
Aridaq; aestatis Gemini primordia pandunt.
Longaq; iam minuit praeclarus lumina Cancer.
Languescuntq; Leo proflat ferus ore calores.
Post modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas, aequatq; diurna
Tempora nocturnis dispensa sidere Libra.
Et foetos ramos denudat flamma Nepai.
Pigra Sagittipotens iaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians iubare spirat Capricorni.
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquarij,
Tanta supra, circaq; vigent ubi flumina. Mundi
At dextra laeuaq; ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum: & Lunae simulacra feruntur.
Squama sub aterno conspectu torta Draconis
Eminet: hunc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellam: quam seruans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootis.

QVINQVE ZONAE, M. TER. VARRONIS.

Mundus domus est maxima rerum.
Quinque altitonae hanc framine zonae
Cingunt: per quas limbus pictus
Bissex signis stellimicantibus
Altus in obliquo aethere, Lunae
Bigas, Solisq; recipit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EX AVSONII EDYLLIIS,

Cui præcedentium quoque epigrammatum maxima pars adscribitur.

SIGNA CÆLESTIA.

AD Boreæ partes, Arcti iunguntur, & Anguis.
Post has Arctophylax, pariterq; Corona, Genuq;
Prolapsus, Lyra, Anas, Cepheus, & Cassiepea,
Auriga, & Perseus, Deltoton, & Andromeda astrũ,
Pegasius, & Delphinus, Telum, Aquila, Angustenẽsq;
Signifer inde subest: bis sex & sidera complent.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & Vrnam
Qui tenet, & Pisces. Post hos in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,
Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piscis & ingens.
Hunc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina septem,
Luna, & Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoq; fulgens.
Hic Iouis & sidus super omnia sidera lucens
Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

RATIO DIERVM ANNI VERTENTIS.

Nonaginta dies, & quatuor, ac medium, Sol
Conficit a tropico in tropicum: dum permeat astrum,
Octipedem in Cancrum Phryxeo ab Ariete pergens.
Hoc spatio æstus pulsusque, & meta diei.
Semidiemque, duosque dies, decies que nouenos,
A Cancro in Chelas æquata tempora noctis
Atque dij, cursu peragit Sol aureus altero,

Autumni

Autumni æstatisque simul confinia miscens.
Vnde autumnales transcurrens ordine menses,
Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni,
Octo dies, decies octonis insuper addens,
Quadrantemque dij. Quinctio qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Inde ad Agenorei festinans cornua Tauri,
Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum,
Nonaginta dies decreto fine coercens.
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Ter centum, ac senis decies, & quinque diebus.

DE NOMINIBVS SEPTEM DIERVM.

Nomina, quæ septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetæ.
Quos indefessa volueus vertigine Mundus,
Signorum obliqua iubet in statione vagari.
Primum, supremumque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternæ succedit Luna coronæ.
Tertius assequitur Titania lumina Mauors.
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Inlustrant quintam Iouis aurea sidera Zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octauum instaurat reuolubilis orbita Solem.

MENSES ET QVATVOR ANNI TEMPORA.

Æternos menses, & tempora quattuor anni,
Quattuor ista tibi subiecta monosticha dicent.
Martius, Aprilis, Maius sunt tempora VERIS.
Iulius, Augustus, nec non & Junius, ÆSTAS.
Septembri, Octobri, AVTVMNVS, totoque Nouembri.
BRVMALES, Ianus, Februarius, atque December.

DE MENSIB. MONOSTICHA.

Primus Romanas ordiris Iane Calendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fetiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Maiorum dictus patrum de nomine Maius.
Iunius ætatis proximus est titulo.
Nomine Cæsareo Quinctilem Iulius auget.
Augustus nomen Cæsareum sequitur.
Autumnum Pomona tuum September opimat.
Truticeo October fenore ditat agros.
Sidera præcipitas pelago intempesta Nouember.
Tu genialem hiemem feste December agis.

DE MENSIBVS ALIA MONOSTICHA.

Dira patet Iani Romanis ianua bellis,
Vota deo Diti Februa mensis habet.
Incipe Mars anni felicia fata reduci.
Tunc Aries Veneris lutea serta legit.
Dulcia, Maia, tuis lucent examina Nonis.
Arce poli Geminos Iunius ecce locat.
Iulius ardenti dinertit lumina Solis
Aere. Flammigero cincta Leone calent.
Poma legit virgo maturi munia Solis.
Fundit & October vina Falerna lacis.
Aret tota soli species vi dira Nepæi.
Inde December amat te genialis hiemis.

DE MENSIBVS DISTICHA.

Iane nouæ, primo qui das tua nomina mensi,
Iane bifrons, spectans tempora bina simul.
Post superum cultus, vicino Februa mense.
Dat Numa cognatis Manibus inferias.
Martius & generis Romani præsul, & anni,
Prima dabat Latiis tempora consulibus.
Æneadum genitrix vicino nomen Aprili
Dat Venus: est Martis namque Aphrodita comes.
Maia dea, an maior, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo: sed mensi est auctor vterque bonus.
Iunius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Iuno, siue Iuuenta dedit.
Inde Dionæo præsulgens Iulius astro,
Æstatis media tempora certa tenet.
Augustus sequitur cognatum a Cæsare nomen,
Ordine sic anni proximus, vt generis.
Nectuntur post hos, numerumque ex ordine signant,
September Bacchi munere prælarigans:
Et qui sementis per tempora fenore lætus
October, cupidis spem fouet agricolis:
Quique salo mergens sollemnia signa Nouember
Præcipitat, calo mox redditura suo.
Concludens numerum, genialia festa December
Finit: vt a bruma mox nouus annus eat.

BEDÆ.

Principium Iani sancit Tropicus Capricornus.
Mense Numæ in medio Sol distat sydere Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora pisces.
Respicis Aprilis Aries Phrixæ Kalendas.
Maius Agenoreis miratur cornua Tauri.
Iunius æquatos cœlo videt ire Laconas.
Solstitio ardentis Cancri fert Iulius æstrum.
Augustum mensem Leo feruidus igne perurit.
Sydere Virgo tuo Bacchum September opimat.
Æquat & Octimber sementis tempore Libram.
Scorpius hibernum præceps iubet ire Nouembrem.
Terminat accitenens medio sua signa December.

C. IVL. HYGINI POETICON ASTRONOMICON,

De Mundi & Sphæræ ac vtriusque partium declaratione.

HYGINVS M. FABIO PLVRIMAM SALVTEM.

ETSI te studio grammaticæ artis inductum non solum versuum moderatione, quam pauci peruiderunt, sed historiarum quoque varietate, qua scientia rerum perspicitur, præstare video, quæ facilius etiam scriptis tuis perspici potest, desiderans potius scientem quam liberalem iudicem: tamen quo magis exercitatus, & nonnullis etiam sæpius in his rebus occupatus esse videar, & ne nihil in adolescentia laborasse dicerer, & imperitorum iudicio, desidię subirem crimen, hoc velut rudimento scientiæ nisus scripsi ad te, non vt imperito monstrãs, sed vt scientissimum commonens:

1 Sphæræ figurationem, circulorumque qui in ea sunt notationem, & quæ ratio fuerit vt non æquis partibus diuiderentur.

2 Præterea, terræ marisque definitionem: & quæ partes eius non habitantur, vt multis iustisque de causis hominibus carere videantur, ordine exposuimus.

3 Rursusque redeũtes ad sphæram, duo & quadraginta signa nominatim pernumerauimus.

Exinde

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Exinde vniuſcuiuſque ſigni hiſtorias cauſamque ad ſidera perlationis oſtendimus.

5 Eodem loco nobis vtile viſum eſt, perſequi eorum corporum deformationes, & in his numerum ſtellarum.

6 Nec prætermiſimus oſtendere ad ſeptem circulorum notationem, quæ corpora aut partes corporum peruenirent, & quemadmodum ab his diuiderentur.

7 Diximus etiam in æſtiui circuli definitione, quærentes quare non idem hiemalis vocaretur: & quid eos fefellerit, qui ita ſenſerint: & quid in ea parte ſphæræ ſolis efficiat curſus.

8 Præterea quare circulos in octo partes diuideremus, ordine expoſuimus.

9 Scripſimus etiam quo loco circulus æquinoctialis foret conſtitutus, & quid efficeret ad eũ perueniens ſol.

10 In eiuſdem circuli demonſtratione oſtendimus, quare Aries inter ſidera celerrimus diceretur.

11 Pauca præterea de hiemali circulo diximus.

12 Exinde zodiacum circulum definiuimus, & eius effectus: & quare potius duodecim ſigna quam vndecim numerarentur: quid etiam nobis de reliquis circulis videretur.

13 His propoſitis rebus, ad id loci venimus, vt exponeremus, vtrũ mundus ipſe cum ſtellis ſuis verteretur, an mundo ſtante, vagæ ſtellæ ferrentur: & quid de eo nobis & compluribus videretur, & qua ratione ipſe mundus verteretur.

14 Præterea quare nonnulla ſigna celerius exorta ſe-

ta ſerius occiderent: nonnulla etiam cæteris tardius exorta, citius ad occaſum peruenirent: quare etiamquæ ſigna pariter oriantur, non ſimul occidant.

15 Eodem loco diximus, quare non eſſent in ſphæra ſuperiora interioribus hemicycli æqualia: & quot modis ſtellas videre non poſſimus.

16 Præterea ſcripſimus in duodecim ſignorum ortu, quæ de reliquis corpora exoriri, & quæ eodem tempore occidere viderentur.

17 Deinde ordine perſcripſimus, vtrum ſol cũ mundo fixus verteretur, an ipſe per ſe moueretur, & cum ipſe per ſe moueatur, & contra duodecim ſignorum ortus eat, quare videatur cum mundo exoriri & occidere.

18 Deinde protinus de Lunæ curſu pauca propoſuimus: & vtrum ſuo, an alieno lumine vteretur: Eclipſis Solis & Lunæ quomodo fieret: quare Luna per eundem circulum iter faciens, celerius ſole currere videatur: & quid fefellerit eos, qui ita ſenſerint.

19 Quinque ſtellæ quantum habeant interuallum: & vtrum quinque ſint an ſeptem: & vtrum quinque certe errẽt, an omnes: & quinque quomodo currant.

20 Diximus etiam qua ratione priores aſtrologi non eodem tempore ſigna & reliquas ſtellas reuerti dixerint: & quare metam diligentiſſime obſeruaſſe videantur. & quid reliquos fefellerit in eadem cauſa. In his igitur tam multis & variis rebus, non erit mirum aut perimeſcendum, quod tantum numerum verſuum ſcripſerimus:

neque enim magnitudinem voluminis, sed rerū multitudinem peritos conuenit spectare. Quod si longior in sermone visus fuero, nō mea facunditate, sed rei necessitate factum existimato: nec si breuius aliquid dixero, minus idem valere confidito, quam si pluribus esset audiendum verbis. Etenim præter nostram scriptionem sphæræ, quæ fuerunt ab Arato obscurius dictæ, persecuti planius ostēdimus: vt penitus id quod cœpimus, exquisisse videremur. Quod si vel optimis vsus auctoribus effeci, vt neque breuius neque verius diceret quispiam, non immerito fuerim laudari dignus a vobis, quæ vel amplissima laus hominibus est doctis: si minus, non deprecamur in hac confectione nostram scientiam ponderari. Ideoque maioribus etiam niti laboribus cogitamus, in quibus & ipsi exerceamur, & in quibus volumus nos probare quid possimus. etenim necessaria nostris hominibus scientissimis maximas res scripsimus: non leuibus occupati rebus, populi captamus existimationem. Sed ne diutius de eo quod negligimus loquamur, ad propositū veniemus, & initium rerum demonstrabimus.

I MVNDVS appellatur is, qui constat ex sole, & luna, & terra, & omnibus stellis.

SPHÆRA est species quædam in rotundo conformata, omnibus ex partibus æqualis apparens, vnde reliqui circuli finiuntur. Huius autem sphęrę neque exitus, neque initium potest definiri, ideo quod in rotundo omnes tractus & initia & exitus significari possunt.

CENTRVM est, cuius ab initio circunductio

sphæræ terminatur, ac terræ positio constituta declaratur.

DIMENSIO, quæ totius ostenditur sphæræ, est cum ex vtrisque partibus eius ad extremam circunductionem recte vt virgulæ perducuntur: quæ dimensio a complutibus Axis est appellata. Huius autem cacumina, quibus maxime sphæra nititur, Poli appellātur, quorum alter ad aquilonem spectans, Boreus: alter oppositus austro, Notius est dictus.

SIGNIFICATIONES quædam in circunductione sphæræ circuli appellantur. E quibus Paralleli dicuntur, qui ad eundem polum constituti finiuntur. Maximi autem sunt, qui eodem centro quo sphæra, continentur. Horizon appellatur is, qui terminat ea quæ perspici aut non videri possunt: hic autem incerta ratione definitur: quod modo polo subiectas, & circulis his qui Paralleli dicuntur: modo duobus extremis & æqualibus nixus: modo aliis partibus adiectus terræ, peruidetur ita, vtcunque fuerit sphæra collocata.

POLVS is qui Boreus appellatur, peruideri potest semper: Notius autem ratione dissimili, semper est a conspectu remotus. Naturalis autem mundi statio, φυσικὴ dicitur. Ea est in Boreo polo finita, vt omnia e dextris partibus exoriri, in sinistris occidere videātur. Exortus enim est, subita quædam species obiecta nostro conspectui: Occasus autem pari de causa, vt erepta ab oculis visa.

In finitione mūdi, circuli sunt Paralleli quin-

que, in quibus tota ratio sphęræ consistit, prætereum qui Zodiacus appellatur: qui quod non vt ceteri circuli, certa dimensione finitur, & inclinatioraliis videtur, λοξος a Græcis est dictus. Quinque autem quos supra diximus, sic in sphæra metiuntur, initio sumpto a polo qui Boreus appellatur, ad eum qui Notius & Antarcticus vocatur. In triginta partes vnūquodque hemisphærium diuiditur, ita vti dimensio significari videatur in tota sphæra per sexaginta partes factas. Deinde ab eodem principio Boreo sex partibus ex vtraque finitione sumptis, circulus ducitur, cuius centrum ipse est Polus finitus: qui circulus, Arcticus appellatur, quod intra eum Arcti simulacra vt inclusa perspiciuntur: quæ signa a nostris vrsarum specie ficta. Septentriones appellantur.

Ab hoc circulo de reliquis partibus quinque sumptis, eodem centro quo supra diximus, circulus ducitur, qui θερινὸς τροπικὸς appellatur, ideo quod sol cum ad eum circulum peruenit, æstatē efficit eis qui in aquilonis finibus sunt: hiemem autem eis quos austri flatibus oppositos ante diximus. Præterea, quod vltra eum circulum sol non transit, sed statim reuertitur. τροπικὸς est appellatus.

Ab hac circuli significatione quatuor de reliquis partibus sumptis, ducitur circulus Æquinoctialis, a Græcis ἰσημερινὸς appellatus, ideo quod sol cum ad eum orbem peruenit, æquinoctium conficit. Hoc circulo facto, dimidia sphæræ pars constituta perspicitur.

E contra-

E contrario item simili ratione a Notio polo sex partibus sumptis, vt supra de Boreo diximus, circulus ductus ἀντερκτικὸς vocatur: quod contrarius est ei circulo, quem arcticon supra definiuimus.

Hac definitione sphæræ, centroque poli qui Notius dicitur, quinque partibus sumptis circulus χειμερινὸς τροπικὸς instituitur, a nobis Hiemalis, a nonnullis etiam Brumalis appellatus, ideo quod sol cum ad eum circulū peruenit, hiemem efficit his qui ad aquilonem spectant: æstatem autem his qui in austri partibus domicilia constituerunt. Quanto enim abest longius ab illis qui in aquilonis habitant finibus, hoc hieme maiore conflictantur: æstate autem, hi quibus sol appositus peruidetur: itaque Æthiopes sub vtroque orbe necessario fiunt.

Ab hoc circulo ad æquinoctialem circulum, reliquæ fiunt partes quatuor, ita vti sol per octo partes sphæræ currere videatur. Zodiacus autem circulus sic vel optime definiri poterit, vt signis factis, sicut postea dicemus, ex ordine circulus perducatur.

Qui autem Lacteus vocatur, contrarius æquinoctiali, vbi oportet vt eum medium diuidere, & bis ad eum peruenire videatur, semel in eo loco vbi aquila constituitur: iterum autem ad eius signi regionē, quod παρηνιων vocatur. Duodecim signorum partes sic diuiduntur: Quinque circulis de quibus diximus supra, ita finiuntur, vt vnusquisque eorum diuidatur in partes duodecim,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ita ex eorum punctis lineæ perducantur, quæ circulos significent factos, in quibus duodecim signa describantur. Sed a nonnullis imperitioribus quæritur, quare non æquis partibus circuli finiantur, hoc est, vt de triginta partibus quinæ partes diuidantur, & ita circuli pari ratione ducantur: id facilime defendi posse confidimus. Cum enim media sphæra diuisa est, eius circuli nullus potest æqualis esse: qui quanuis proxime eum accedat, tamen minor esse videatur. Itaque qui primum sphæram fecerunt, cum vellent omnium circulorum æquas rationes esse, pro rata parte voluerunt significare, vt quanto magis a polo discederetur, eo minorem numerum partium sumerent in circulis metiendis, quo erat necesse his maiorem circulum definire. Quod etiam ex ipsa sphæra licet intelligere: quanto magis a polo discedes, eo maiores circulos fieri necesse est: & hac re minorem numerū duci, vt pares eorum videantur effectus. Et si non in triginta partes vnumquodque hemisphæriū diuidatur, sed in alias quotlibet finitiones, tamen eo ratio peruenit eius, ac si triginta partes fecisset. Zodiacus circulus tribus his subiectus, de quibus supra diximus, ex quadam parte contingit æstiuum & hiemalem circulum, æquinoctialem autem medium diuidit. Itaque sol per Zodiacum circulum currens, neque extra eum transiens, necessario cum his signis quibus innixus iter conficere videtur, peruenit ad eos quos supra diximus orbes, & ita quatuor tempora definit,

nit. Nam ab Ariete incipiens, ver ostēdit: & Taurum & Geminos transiens, idem significat. Sed iam capitibus Geminorum circulum æstiuum tangere videtur, & per Cancrum & Leonem transiens & Virginem, æstatem efficit. Et rursum a Virginis extrema parte transire ad æquinoctialem circulum perspicitur. In Libra autem æquinoctium conficit, & autumnum significare incipit, ab hoc signo transiens ad Scorpium & Sagittarium. Deinde protinus incurrit in hiemalem circulum, & a Capricorno, Aquario, Piscibus, hiemem transigit. Itaque ostenditur non per tres ipsos circulos currere, sed Zodiacum transiens ad eos peruenire. Sed quoniam de his rebus diximus, nunc Terræ positionem definiemus, & Mare quibus locis interfusum videatur, ordine exponemus.

2 TERRA mundi media regione collocata, omnibus partibus æquali dissidēs interuallo, centrum obtinet sphæræ. Hāc mediam diuidit Axis in dimensione totius terræ. Oceanus autem regione circunductionis sphæræ profusus, prope totius orbis alluit fines. Itaque & signa occidentia in eum decidere existimantur: sic igitur & terras contineri, poterimus explanare. Nam quæcunque regio est quæ inter Arcticum & Æstiuū finem collocata est, ea diuiditur trifariam, e quibus vna pars, Europa: altera, Asia: tertia, Africa vocatur. Europam igitur ab Africa diuidit mare ab extremis Oceani finibus & Herculis columnis. Asiam vero & Libyam cum Ægypto disterM

Universidad de Deusto
Biblioteca

minat os Nili fluminis quod Canopicō appellatur. Asiam ab Europa Tanais diuidit, bifariam se coniiciens in paludem quæ Mæotis appellatur. Hac igitur definitione facile peruidetur, mare omnibus adiectum finibus terræ.

Sed ne videatur nonnullis mirum, cum sphæra in sexaginta partes diuidatur, vt ante diximus, quare definimus ab æstiuo circulo ad arcticum finem dumtaxat habitari: sic vel optime defendimus. Sol enim per mediam regionem sphæræ currens, nimium his locis efficit feruorem. Itaque quæ finis est ab æstiuo circulo ad hiemalem, ea terra a Græcis Διακαυμένη vocatur: quod neque fruges propter exustam terram nasci, neque homines propter nimium ardorem durare possunt: extremæ autem regiones sphæræ duorum circulorum, quorum alter Boreus, alter Notius vocatur, sine Arctici circuli & eius qui Antarcticus vocatur, non habitantur, ideo quod sol ab his circulis semper est longe, venti quoque assiduos habent flatus. Quamuis enim sol perueniat ad Æstiuum circulum, tamē longe ab Arctico videbitur fine: id ita esse, hinc quoque licet intelligere: Cum enim sol peruenit ad eum circulum qui Hiemalis vocatur, & efficiat nobis qui prope eum sumus cōstituti nimium frigus, quid arbitramur eis locis frigoris esse, qui longius etiā absunt a nobis? Quod cum in hac parte sphęræ fiat, idem in altera parte definitū putabimus, ideo, quod similes eius sunt effectus. Præterea hinc quoque intelligimus illic maximum frigus, & in æstiuo circulo calorem esse: quod quæ terra habitatur

habitatur. Eos tamen videmus qui proxime sint Arcticum finem, vti braccis & eiusmodi vestitu vestium: qui autem proximi sint æstiuo circulo, eos Æthiopas & perusto corpore esse. Habitatur autem sic temperatissimo cœlo, cum inter æstiuum circulum & Arcticum finem hęc perueniat temperatio: quod ab Arctico circulo frigus, ab æstiuo feruor exortus in vnum concurrens efficit: media finem temperatam, quæ habitari possit. Itaque cum sol ab eo loco discessit, hieme necessario conflictamur, quod ventum exorientem non reuerberat sol. Quod cum veniat in hac definitione, illud quoque fieri posse videmus, vt Hiemali circulo nobis ad Antarcticum finē habitari possit: quod pares eodem peruenient casus. Certum quidem esse nemo contendit, neque peruenire eo potest quisquā propter interiectum terræ, quæ propter ardorem non habitatur. Sed cum videmus hanc regionem sphærę habitari, illam quoque in simili causa posse constitui suspicamur.

SED quoniam quę nobis de terræ positione dicenda fuerunt, & sphæram totam definiuimus, nunc quæ in ea signa sunt, singulatim nominabimus. E quibus igitur primum duas Arctos, & Draconem: deinde Arctophylaca cum Corona dicimus: Ceteum, qui Engonasin vocatur: Exinde Lyram cum Olore, & Cepheo, & eius vxore Cassiepeia filiaque Andromeda, & genero Perseo: dicimus etiam protinus Aurigam, a Græcis ἡνίοχον appellatum: Ophiuchum præterea cum Sagitta & Aquila, paruoque Delphino. Inde

Universidad de Deusto
Biblioteca

Equum dicimus, cum eo sidere quod Delroton vocatur. His corporibus enumeratis, ad duodecim Signa perueniemus. Ea sunt hęc. Aries. Taurus, Gemini: deinde Cancer cum Leone & Virgine: præterea Libra dimidia pars Scorpionis, & ipse Scorpius cum Sagittario & Capricorno: Aquarius autem cum Piscibus reliquas habet partes. His enumeratis, suo ordine est Cetus cũ Eridano flumine, & Lepore. Deinde Orió cũ Cane, & eo signo quod Προκύων dicitur. Præterea est Argo cum Centauro, & Ara: deinde Hydra cum Pisce qui Notius vocatur. Horum omnium non inutile videtur historias proponere: quæ certe aut vtilitatem ad scientiam, aut iocunditatem ad delectationem afferent lectori. Igitur, vt supra diximus, initium est nobis Arctos maxima.

4 HANC autem Hesiodus ait esse Callisto nomine, Lycaonis filiam, eius qui in Arcadia regnauit: eamque studio venationis inductam, ad Dianam se applicuisse: a qua non mediocriter esse dilectam, propter vtriusque consimilem naturam. Postea autem ab Ioue compressam, veritam Dianæ suum dicere euentum, quod diutius celare non potuit: nam iam vtero ingrauescente, prope diem partus in flumine corpus exercitatione defessum cum recrearet, a Diana cognita est non seruasse virginitatem: cui dea pro magnitudine suspicionis non minorem retribuit pœnam: erepta enim facie virginali, in vrsæ speciem est conuersa, quæ Græce ἄρκτος appellatur. In ea figura corporis Arcada procreauit. Sed, vt ait Amphis comœdiarum scriptor, Iupiter

piter simulatus effigiem Dianæ, cum virginem venantem vt adiutans persequeretur, amotam a conspectu aliarum compressit: quæ rogata a Diana quid ei accidisset, quod tam grãdi vtero videretur, illius peccato id euenisse dixit. itaque propter eius responsum, in quam figuram supra diximus, eam Diana conuertit. Quæ cum in silua vt fera vagaretur, a quibusdam Ætolorum capta, ad Lycaonem pro munere in Arcadiã cum filio est deducta. Ibi dicitur insciа legis, in Ionis Lycæi tẽplum se coniecisse: quam confestim filius est secutus. Itaque cum eos Arcades insecuti, interficere conarentur, Iupiter memor peccati, ereptã Callisto cum filio inter sidera collocauit, eamque Arctum, filium autem Arctophylaca nominauit, de quo postea dicemus. Nõnulli etiam dixerunt, Cum Callisto ab Ioue esset compressa, Iunonem indignatam in vrsam eam conuertisse: quam Dianæ venãti obuiam factam, ab ea interfectam, & postea cognitam inter sidera locatam. Sed alij dicunt, cum Callisto Iupiter esset in silua persecutus. Iunonem suspicatam id quod euenit, contendisse vt eum manifesto diceret deprehendisse. Iouem autem quo facilius suum peccatum tegeretur, in vrsæ speciem conuersam reliquisse: Iunonem autem in eo loco pro virgine vrsam inuenisse, quam Dianæ venanti, vt eam interficeret, demonstrasse: quod factum vt perspiceretur Iouem ægre tulisse, effigiem vrsæ stellis figuratam constituisse. Hoc signum vt complures dixerunt non occidit. Qui volunt aliqua de causa esse institutum, negãt Tethyn Oceani vxo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem id recipere, cum reliqua sidera eo perueniant in occasum : quod Theris Iunonis sit nutrix, cui Callisto succubuerit vt pellex. Arietibus autem Tegeates historiarum scriptor, non Callisto, sed Megisto dicit appellatam: & non Lycaonis sed Cetei filiam, Lycaonis neptem. Præterea Cetea ipsum Engonasinnominari. Reliqua autem superioribus conueniunt: quæ res in Nonacri monte Arcadiæ gesta demonstratur.

ARCTOS MINOR. Hanc Aglaosthenes qui Naxica conscripsit, ait Cynosuram esse vnam de Iouis nutricibus ex Idæis nymphis : ab eius quoque nomine & vrbem quæ Hestiea vocatur, a Nicostrato & sodalibus eius constitutam, & portum qui ibi est, & agri maiorem partem Cynosuram appellatam. Hanc autem inter Curetas fuisse, qui Iouis fuerunt administri. Nonnulli etiam Helicen & Cynosuram nymphas esse Iouis nutrices dicunt : & hac re etiam pro beneficio in mundo collocatas, & vtrasque Arctos appellatas esse, quas nostri Septentriones dixerunt: sed maiorem arcton complures plaustro similem dixerunt, & ἅμαξαν Græci appellauerunt. Cuius hæc memoriæ prodita est causa: In initio qui sidera peruiderunt, & numerum stellarum in vnaquaque specie corporis constituerunt, & non Arctum, sed Plaustrum nominauerunt. Ex septem stellis, duæ quæ pariles & maxime in vno loco viderentur, pro bobus haberentur: reliquæ autem quinque figuram plaustri simularent. Itaque & quod proximum huic est signum Bootem nominari voluerunt: de quo posterius plura dicemus.

mus. Aratus quidem non hac re Bootem, nec illud Plaustrum dicit appellari : sed quod Arctos videatur vt Plaustrum circa Polum, qui Boreus appellatur, vertari: & Bootes agitare eam dicatur. In quo non mediocriter videtur errare. Postea autem de septem stellis, vt Parmeniscus ait, quinque & viginti sunt a quibusdam astrologis constitutæ, vt Vriæ species, nō septem stellis perficeretur. Itaque & ille qui antea plaustrum sequens, Bootes appellabatur, Arctophylax est dictus, & iisdē temporibus quibus Homerus fuit, hæc Arctos est appellata. de Septentrionibus ille enim dicit, hanc vtroque nomine, & Arcton & Plaustrum nominari : Bootem autem nusquam meminit Arctophylaca nominari. Incidit etiam compluribus erratio, quibus de causis minor Arctos Phœnice appelletur & illi qui hanc obseruant, verius & diligentius nauigare dicantur: & quare si hæc sit certior quam maior, non omnes hanc obseruent: qui non intelligere videntur de qua historia sit profecta ratio, vt Phœnice appelletur. Thales enim qui diligenter de his rebus exquisiuit, & hanc primus Arcton appellauit, natione fuit Phœnix, vt Herodotus Milesius dicit. Igitur omnes qui Peloponnesum incolunt, priore vtuntur Arcto. Phœnices autem quam a suo inuentore acceperunt, obseruant : & hanc studiosius perspiciendo, diligentius nauigare existimantur, & vere eam ab inuentoris genere Phœnicen appellant.

SERPENS. Hic vasto corpore ostēditur inter duas Arctos collocatus : qui dicitur aurea mala

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hesperidum custodisse, & ab Hercule interfectus, ab Iunone inter sidera collocatus. quod illius opera Hercules ad eum est profectus, qui hortum Iunonis tueri solitus existimatur. ait enim Pherecydes, Iunonem cum duceret Iupiter vxorem, Terram inuenisse ferentem aurea mala cum ramis: Iunonem admiratam, petisse a Terra vt in suis hortis sereret, qui erant vsque ad Atlantem montem. Cuius filiæ cum sæpius de arboribus mala decerperent, Iuno dicitur hunc ibi custodem posuisse: hoc etiam signi erit, quod in sideribus supra eum Draconem, Herculis simulacrum ostenditur, vt Eratosthenes demonstrat: quare licet intelligere, hunc maxime Draconē dici. nonnulli etiam dixerunt hunc Draconem a gigantibus Mineruæ obiectum esse, cum eos oppugnaret: Mineruam autem arreptum draconem contortum ad sidera iecisse, & ad ipsum axem cæli fixisse: itaque eum adhuc implicato corpore videri, vt nuper ad sidera perlatum.

ARCTOPHYLAX. De hoc fertur, vt sit Arcas nomine, Callistus & Iouis filius, quem dicitur Lycaō, cum Iupiter ad eum in hospitiū venisset, cum alia carne concisum pro epulis apposuisse. studebat enim scire, si deus esset qui suum hospitium desideraret. Quo facto non minore pœna est affectus. nam statim Iupiter mensa proiecta, domum eius fulmine incendit: ipsum autem in lupi figuram conuertit: at pueri membra collecta & composita in vnum, dedit cuidam Ætolorum alendum, qui adolescēs factus, in siluis cum venaretur, insciius vidit matrem in vrsæ speciem conuer-

cōuersam, quā interficere cogitās, persecutus est in Iouis Lycæi tēplū: quo & qui accessisset, mors pœna erat Arcadum lege. Itaque cum vtrunque necesse esset interfici, Iupiter eorum misertus, ereptos inter sidera collocauit, vt ante diximus. Hic autem e facto sequens Vrsam perspicitur, & Arctum seruans Arctophylax est appellatus. Nonnulli hunc Icarium Erigones patrem dixerunt, cui propter iustitiam & pietatem existimatur Liber pater vinum & vitem & vuam tradidisse, vt ostenderet hominibus quomodo sererentur, & quid ex eo nasceretur; & cum esset natum, quomodo eo vti oporteret. Qui cum seuisset vitem, & diligentissime administrando floridā falce fecisset, dicitur hircus in vineam se conieciisse, & quę ibi tenerrima folia videret, decerpsisse: quo facto, Icarium irato animo tulisse, eumque interfecisse, & ex pelle eius vtrem fecisse, ac vento plenum præligasse, & in medium proiecisse, suosque sodales circum eum saltare coegisse. Itaque Eratosthenes ait: Ικαρίου μοὶ πρῶτα περὶ τράγον ὠρχήσαντο. Alij dicunt Icarium cum a Libero patre vinum accepisset, statim vtres plenos in plaustrum imposuisse. hac re etiam Bootē appellatum: qui cum perambulans Atticorum fines pastoribus ostenderet, nonnulli eorum auiditate pleni, nouo genere potionis inducti somno consopiuntur: atque alius aliam se in partem reiiciunt, vt semimortua membra iactantes, alia ac decebat loquebantur. Reliqui eorum arbitrati venenum ab Icario datum pastoribus, vt eorum pecora abigeret in suos fines, Icarium in-

terfectum in puteum deiecerunt: sed vt alij demonstrant, secundum arborem quandam defoderunt. Qui autem obdormierant experrecti, cũ se nunquã melius quiesse faterentur, ac requirerent Icarium, vt pro beneficio muneraretur, interfectores eius animi conscientia permoti, statim se fugæ mandauerunt, & in insulam Ætolorum peruenerunt: a quibus vt hospites recepti, domicilia sibi constituerunt. At Erigone Icarij filia permota desiderio parentis, cum eum non redire videret, ac persequi conaretur, canis Icarij, cui Mera fuerat nomen, vlulans vt videretur obitum domini lachrimari, rediit ad Erigonen, cui non minimam cogitatæ mortis suspicionem ostendit: neque enim puella timida suspicari debebat nisi patrem interfectum, qui tot dies ac menses abesset. At canis vestem eius tenens dẽtibus, perduxit ad cadauer. Quod filia simul ac vidit, desperata spe, solitudine ac paupertie oppressa, multis miserata lachrimis, in eadem arbore qua parens sepultus videbatur, suspendio sibi mortem conscinit. Cui canis mortuæ spiritu suo parentauit: nonnulli enim hunc in puteum se deiecisse dixerunt Anygrum nomine: quare postea neminem ex eo puteo bibisse, memoriæ tradiderunt. Quorum casum Iupiter miseratus, in astris corpora eorum deformauit. Itaque complures Icarium, Bootem: Erigonem, Virginem nominauerunt, de quo posterius dicemus: Canem autem sua appellatione & specie Caniculã dixerunt: quæ a Græcis, quod ante maiorem Canem

nem exoritur, προκύων appellatur. Alii hos a Libero patre figuratos inter sidera dicunt. Interim cum in finibus Athenienſium multæ virgines sine causa suspendio sibi mortem consciscerent, quod Erigone moriens erat precata, vt eodem leto filiæ Athenienſium afficerentur quo ipsa foret obitura, nisi Icarij mortem persecuti, & eũ forent vlti. Itaque cum id euenisset, vt ante diximus, petentibus eis Apollo dedit responsum: Si vellent euentu liberari, satisfacerent Erigonæ. Qui quod ea se suspenderat, instituerunt, vti tabula interposita pendente, funibus se iactarent, vt qui pendens vento mouetur: quod sacrificium solenne instituerunt. Itaque & priuatim & publice faciunt, & id Aletidas appellant: quod eam patrem persequentem cum cane, vt ignotam & solitariam oportebat, mendicam appellabant, quas Græci ἀλήτιδας nominant. Præterea Canicula exoriens, æstu eorum loca & agros fructibus orbabat: & ipsos morbo affectos, pœnas Icario cum dolore sufferre cogebat, eo quod latrones recepissent. Quorum rex Aristeus Apollinis & Cyrenes filius, Actæonis pater, petit a parente quo facto a calamitate ciuitatem posset liberare: quem deus iubet multis hostiis expiare Icarij mortem, & ab Ione petere, vt quo tempore Canicula exoriretur, dies quadraginta ventum daret qui æstui caniculæ mederetur. Quod iussum Aristeus confecit, & ab Ione impetrauit vt Etesiæ flarent: quas nonnulli Etesias dixerunt, quod quotannis certo tempo-

re exoriuntur: ἐνιαυτὸς enim Græce, annus est Latine. Nonnulli etiam Etesias appellauerunt, quod expostulatæ sunt ab Ioue, & ita concessiæ. Sed hoc in medio relinquamus, ne nos omnia præripuisse existimemur. Sed vt ad propositum reuertamur, Hermippus qui de sideribus scripsit, ait, Cererē cum Iasione Thusci filio concubuisse: quamobrem fulmine percussum complures cum Homero dixerunt. Ex his, vt Petellides Gnosius historiarum scriptor demonstrat, nascūtur filij duo Philomelus & Plutus: quos negant inter se conuenisse: nam Plutum qui ditior fuerit, nihil fratri suo de bonis concessisse: Philomelum autem necessario adductum, quodcunque habuerit, ex eo boues duos emisse, & ipsum primum plaustrum fabricatum esse: itaque arādo & colendo agros, ex eos se aluisse: cuius matrem inuentum miratam, vt arantem eum inter sidera constituisse, & Bootem appellasse. Ex hoc autem Pareanta demonstrant natum, qui de suo nomine Parios & oppidum Paron appellauit.

CORONA. Hæc existimatur Ariadnes fuisse, a Libero patre inter sidera collocata. Dicitur enim in insula Dia cum Ariadne Libero nuberet, hanc primum coronam muneri a Venere & Horis accepisse, cum omnes dij in eius nuptiis dona conferrent. Sed (vt ait qui Cretica conscripsit) quo tempore Liber ad Minoa venit, cogitans Ariadnen comprimere, hanc coronam ei munezi dedit: qua delectata, non recusauit conditionem stupri. Dicitur etiam a Vulcano facta ex auro & Indicis gemmis, per quas Theseus existimatur

tur de tenebris Labyrinthi ad lucē veniisse: quod aurum & gemmæ in obscuro fulgorem luminis efficiebant. Qui autem Argolica conscripserunt, hanc afferunt causam: quod Liber cum impetrasset a parente vt Semelem matrem ab Inferis reduceret, & quærens ad eos descensionem, ad Agriuorum fines peruenisset, obuiam ei quendam factum nomine Hypolipnum, hominem dignum eius seculi, qui petenti Libero descensionem monstraret. Hunc autem cum vidisset Hypolipnus puerum ætate miranda corporis pulchritudine reliquis præstantem, mercedem petisse ab eo quæ sine detrimento eius daretur. Liberum autem matris cupidum, si eam reduxisset, iurasse, quod vellet, se facturum: ita tamen, quod Deus homini non pudenti iuraret: pro quo Hypolipnus descensum monstrauit. Igitur cum Liber ad eum locum veniisset & vellet descendere, coronam quam a Venere muneri acceperat, deposuit in eo loco, qui ἐξ Φάνος est e facto appellatus: noluit enim secum ferre, ne immortale donū mortuorum tactu coinquinaretur. Qui cum matrem incolumē reduxisset, Coronam dicitur inter astra collocasse, vt æterna memoria nominis efficeretur. Alij dicunt hanc Coronam Thesei esse, & hac re propter eum collocatam. Nam qui in astris dicitur Engonasin, is Theseus esse existimatur, de quo posterius plura dicemus. Dicitur enim, cum Theseus Cretam ad Minoa cum septem virginibus & sex pueris veniisset, Minoa de virginibus Eriboeam quandam nomine, candore corporis inductum, comprimere voluisse: quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Theseus se passurum negaret, vt qui Neptuni filius esset, & valeret, contra tyrannum pro virginis incolumitate decertare. Itaque cum iam non de puella, sed de genere Thesei controuersia facta esset, vtrum is Neptuni filius esset necne, dicitur Minos aureum anulum de digito sibi detraxisse, & in mare proiecisse: quem referre iubet Theseum. si vellet se credi Neptuni filium esse: se enim ex Ioue procreatum facile posse declarare. Itaque comprecatus patrem petiit aliquid signi, vt satisfaceret se ex eo natum: statimque tonitru & fulgure cœli, indicium significationis fecisse. Simili de causa Theseus sine vlla precatione aut religione parentis, in mare se proiecit: quem cõfestim delphinum magna multitudo mari prouoluta, leniſſimis fluctibus ad Nereidas perduxit: a quibus anulum Minois, & a Thetide coronam, quam nuptiis a Venere muneri acceperat retulit, compluribus lucentem gemmis. Alij autem a Neptuni vxore accepisse dicunt. Coronam Ariadnæ Theseus dono dicitur dedisse, cum ei propter virtutem & animi magnitudinem vxor esset concessa: hanc autem post Ariadnes mortem, Liberum inter sidera collocasse.

EN GONASIN. Hunc Eratosthenes Herculem dicit, supra draconem collocatum, de quo ante diximus, eumque paratum vt ad decertandum, sinistra manu pellem leonis, dextra clauam tenentem. Conatur interficere draconem Hesperidũ custodem, qui numquam oculos operuisse somno coactus existimatur, quo magis custos appositus esse demonstratur. De hoc etiam Panyasis in Heraclea

Heraclea dicit. Horum igitur pugnam Iupiter admiratus, inter astra constituit. Habet enim draco caput erectum: Hercules autem dextro genu nixus, sinistro pede capitis eius dextram partem opprimere conatur: dextra manu sublata vt feriens, sinistra proiecta cum pelle leonis, vt quam maxime dimicans appareat: etsi sit, qui negat hoc quenquam (vt Aratus) posse demõstrare: tamen conabimur, vt aliquid verisimile dicamus. Arie-
thus autem, vt ante diximus, hunc Cerea Lycaonis filium, Megistus patrem dicit: qui videtur vt lamentans filiam in vrsæ figuram conuersam, genu nixus palmas diuersas tendere ad cælum, vt eam sibi dij restituant. Hegesianax autem Thesea dixit esse, qui Trœzene saxum extollere videtur: quod existimatur Ægeus sub eo saxo Ellopium ensem posuisse, & Æthræ Thesei matri prædixisse, ne ante eum Athenas mitteret, quam sua virtute lapide sublato, potuisset gladium patri referre. Itaque niti videtur, vt quam altissime possit lapidem extollat. Hac etiam de causa nonnulli Lyram, quæ proxima ei signo est collocata, Thesei esse dixerunt: quod vt eruditus omni genere artium, Lyram quoque didicisse videbatur. Idque & Anacreon dicit: ἀγχοῦ δαὶ τὸ Θησέος ἐστὶ λύρη. Alij autẽ Thamyrin a Musis excæcatum, vt supplicem ad genua iacentem dicunt. Alij Orphea a Thraciis mulieribus interfici, quod viderit Liberi patris initia. Æschylus autẽ in fabula quæ inscribitur Προμηθεὺς λυόμενος, Herculem ait esse, non cum dracone, sed cum Liguribus depugnantem. Dicit enim, quo tempore Hercules

Universidad de Deusto
Biblioteca

Geryone boues abduxerit, iter feciſſe per Ligurum fines: quos conatos ab eo pecus abducere, manus contuliſſe, & complures eorum ſagittis confixiſſe. Sed poſtquam Herculem tela deficerent, multitudine barbarorum & inopia armorum defeſſum, ſe ingeniculaſſe, multis iam vulneribus acceptis. Iouem autem miſertum filij, curaſſe vt circa eum magna lapidum copia eſſet: quibus ſe Herculem defendiſſe, & hoſtes fugaſſe. Itaque Iouem, ſimilitudinem pugnantis inter ſidera conſtituiſſe. Hunc etiam nonnulli Ixiona brachiis vinctis eſſe dixerunt: quod vim Iunoni voluerit afferre. Alij Promethea in monte Caucaſo vinctum.

LYRA. Inter aſtra conſtituta eſt, hac, vt Eratoſthenes ait, de cauſa: quod initio a Mercurio facta de teſtudine, Orpheo eſt tradita: qui Calliopes & OEagri filius, eius rei maxime ſtudioſus. Itaque exiſtimatur ſuo artificio feras etiam ad ſe audiendum allicuiſſe: qui querens vxoris Eurydices mortem, ad Inferos deſcendiſſe exiſtimatur, & ibi deorum progeniem ſuo carmine laudaſſe, præter Liberum patrem: hunc enim obliuione ductus prætermiſit, vt OEneus in ſacrificio Dianam. Poſtea igitur Orpheus, vt complures dixerunt, in Olympo monte, qui Macedoniã diuidit a Thracia: ſed, vt Eratoſthenes ait, in Pangæo ſedens, cum cantu delectaretur, dicitur Liber ei obiecciſſe Bacchas, quæ corpus eius diſcerperent interfecti. Sed alij dicunt, quod initia Liberi ſit ſpeculatus, id ei accidiſſe: Muſas autem collecta membra ſepulturæ mandaſſe, & lyram quo

quo maxime potuerant beneficio, illius memoriæ cauſa figuratam ſtellis inter ſidera conſtituiſſe Apollinis & Iouis voluntate: quod Orpheus Apollinem maxime laudaret, Iupiter autem filio beneficium conceſſit. Alij autem dicunt Mercurium, cum primum lyram feciſſet, in Cyllene monte Arcadiæ, ſeptem chordas inſtituiſſe ex Atlãtidum numero: quod Maia vna ex illarũ numero eſſet, quæ Mercurij eſt mater. Deinde poſtea cum Apollinis boues abegiſſet, deprehenſus ab eo, quo ſibi facilius ignoſceret, petenti Apollini vt liceret dicere ſe inueniſſe lyram, conceſſit, & ab eo virgulam quandam muneri accepit: quam manu tenens Mercurius, cum proficiſceretur in Arcadiam, & vidiſſet duos dracones inter ſe coniuncto corpore, alium alium appetere, vt qui dimicare inter ſe videretur, virgulam inter vtrunque ſubiecit, itaque diſceſſerunt: quo facto eam virgulam pacis cauſa dixit eſſe conſtitutam. Nonnulli etiam cum faciunt Caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt: quod initium Mercurio fuerat pacis. Eius exemplo & athletæ, in reliquis eiuſmodi certationibus virgula vtuntur. Sed vt ad propoſitum reuertamur. Apollo lyra accepta dicitur Orphea docuiſſe: & poſtquam ipſe citharam inuenerit, illi lyram conceſſiſſe. Nonnulli etiam dixerunt, Venerem cum Proſerpina ad iudicium Iouis veniſſe, cui earum Adonin concederet: quibus Calliopen ab Ioue datam iudicem, quę muſa Orphei eſt mater. Itaque iudicaſſe, vti dimidiam partem anni earum vnaquæque poſſideret. Venerem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutem indignatam, quod non sibi proprium cõcubitum fecisset. obiecisse omnibus quæ in Thracia essẽt mulieribus, vt Orphea amore inductæ, ita sibi quęque appeteret, vt membra eius discerperent: eius caput in mare de monte perlatum, fluctibus in insulam Lesbon est reiectum: quod ab his sublatum & sepulturæ est mandatum: pro quo beneficio ad musicam artem ingeniosissimi existimantur esse Lyra autem a Musis, vt ante diximus, inter astra constituta est. Nonnulli aiunt, quod Orpheus primus puerilem amorem induxerit, mulieribus visum contumeliam fecisse illis ab hac re interfectum.

OLOR. Hunc Græci κύκνον appellant, quem complures propter ignoram illis historiam, cõmune genere auium ὄρνιν appellauerunt: de quo hæc memoriæ prodita est causâ: Iupiter cum amore inductus, Nemesin diligere cœpisset, neque ab ea vt secum concumberet impetrare potuisset, hac cogitatione amore est liberatus: iubet enim Venerem aquilæ similatam, se sequi, seseque ipse in olorem conuertit, & vt aquilam fugiens ad Nemesin confugit, & in eius gremio se collocauit: quem Nemesis non aspernata, amplexum tenens, somno est consopita: quam dormientem Iupiter compressit, ipse autem auolauit: & quod ab hominibus alte volans cælo videbatur, inter sidera dictus est esse constiturus: quod ne falsum diceretur, Iupiter e facto eum volantem, & aquilam sequentem, collocauit in mundo. Nemesis autem, vt quæ auium generi esset inuicta, mensibus actis, ouum procreauit:

reauit: quod Mercurius auferens, detulit Spartam, & Lædæ sedẽti in gremium proiecit, ex quo nascitur Helena, cæteras corporis specie præstans, quam Leda suam filiam nominauit. Alij autem cum Læda Iouem concubuisse in olorem conuersum, dixerunt: de quo in medio relinquimus.

CEPHEVS. Hũc Euripides cum cæteris, Phœnicis filium, Æthiopum regem esse demonstrauit. Andromedæ patrem, quam Ceto propositã notissimæ historiæ dixerunt. hanc autem Perseum a periculo liberatam, vxorem duxisse. Itaque vt totum genus eorum perpetuo maneret, ipsum quoque Cephea inter sidera superiores numerasse.

CASSIEPEIA. De hac Euripides & Sophocles & alij complures dixerunt, vt gloriata sit se forma Nereidas præstare; pro quo facto inter sidera sedens in sibi quastro constituta est: quæ propter impietatem vertente se mundo resupinato capite ferri videtur.

ANDROMEDA. Hæc dicitur Mineruæ beneficio inter astra collocata, propter Persei virtutem quod eam Ceto propositam a periculo liberarat: nec enim ab ea minorem animi beneuolentiam pro beneficio accepit. Nã neque pater Cepheus neque Cassiepeia mater ab ea potuerunt impetrare, quin parentes & patriam relinquẽs Perseã sequeretur. Sed de hac Euripides hoc eodem nomine fabulam commodissime scribit.

PERSEVS. Hic nobilitatis causa, & quod inusitato genere concubitionis esset natus, ad sidera

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur peruenisse : qui missus a Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas,a Mercurio qui eum dilexisse existimatur , talaria & perasum accepit: præterea galeam,qua indutus ex aduerso nõ poterat videri.Itaque Græci ἀΐδος galeam dixerunt esse:non vt quidam inscientissime interpretantur,eum Orci galea vsum:quæ res nemini docto potest probari. Fertur etiam a Vulcano falcem accepisse ex adamante factã, qua Medusam Gorgonem interfecit: quod factum nemo conscripsit. Sed vt ait Æschylus Tragœdiarum scriptor in Phorcys, Greę fuerunt Gorgonum custodes: de quo in primo libro Genealogiarum scripsimus : quæ vtræque vno oculo vsæ existimantur, & ita suo quæque tempore accepto oculo vigilias egisse. Hunc Perseus vna earum tradente, exceptum in paludem Tritonida proiecit.Itaque custodibus excæcatis, facile Gorgonem somno consopitam interfecit : cuius caput Minerua in pectore dicitur habere collocatum. Euhemerus quidem Gorgonem a Minerua dicit interfectã: de quo alio tempore plura dicemus.

HENIOCHVS. Hunc nos Aurigam Latine dicimus , nomine Erichtonium , vt Eratosthenes monstrat:quem Iupiter cum vidisset primum inter homines equos quadrigis iunxisse,admiratus est ingenium hominis , ad Solis inuenta accessisse:quod is princeps quadrigis inter deos est vsus: sed Erichthonius & quadrigas, vt ante diximus, & sacrificia Mineruæ , & templum in arce Athenensium primus instituit:de cuius progenie Euripides ita dicit: Vulcanum Mineruæ pulchritudi ne

dine corporis inductum,petiisse ab ea vt sibi nuberet.neque impetrasse : & cœpisse Mineruam sese occultare in eodem loco , qui propter Vulcani amorẽ Hephæstius est appellatus: quo persecutum Vulcanum,ferunt cœpisse ei vim afferre:& cum plenus cupiditatis ad eam vt cõplexui se applicaret ferretur,repulsus effudit in terrã voluptatẽ. Quo Minerua pudore permota , pede puluerem iniecit. Ex hoc autem nascitur Erichthonius anguis ,qui ex terra & eorũ dissensione nomen possedit. Eum dicitur Minerua in cistula quadam vt mysteria contectum , ad Erechthei filias detulisse & his dedisse seruãdũ:quibus interdixit,ne cistulam aperirent. Sed vt hominum est natura cupida , vt eo magis appetant quo interdicatur: sæpius virgines cistulam aperuerunt,& anguem viderunt : quo facto insania a Minerua iniecta , de arce Athenensium se præcipitauerunt: anguis autem ad Mineruæ clypeũ confugit,& ab ea est educatus. Alij autẽ anguina tantum crura habuisse Erichthonium dixerunt, eumque primo tempore adolescentię ludos Mineruæ Panathenæa fecisse , & ipsum quadrigis concurrisse,pro quibus factis inter sidera dicitur collocatus. Nonnulli etiam qui de sideribus scripserunt,hunc natione Argeum,Orsilochumnomine , primum quadrigarum inuentorem esse dixerunt,& pro inuentione siderum locum possedisse. Alij autem hunc Mercurij filium ex Elicia natum nomine Myrtilum , Oenomai aurigam definierunt,cuius post notam omnibus mortem apparens corpus in mũdo constituisse existima-

tur. Huius in humero sinistro Capra instare & in manu sinistra Hœdi videntur formati: De quibus nonnulli ita dicunt: Olenum quendam fuisse nomine Vulcani filium: ex hoc duas nymphas Ægam & Helicen natas, quæ Iouis fuerunt nutrices. Alij autem etiam ab his vrbes quasdam appellari dixerunt, & Olenon in Aulide, Helicen autem in Peloponneso, & Ægam in Æmonia ibi nominarunt de quibus Homerus in Iliados secundo dicit. Parmenides autem ait. Melissea quendam fuisse Cretæ regem: ad eius filias Iouem nutriendum esse delatum: quæ quo id hac non habuerint, capræ ei admisisse. Amaltheam nomine, quæ eũ dicitur educasse. Hunc autem geminos hœdos solitam esse procreare, & fere eo tempore peperisse, quo Iupiter nutriendus est allatus. Itaque propter beneficium matris & hœdos quoque dicitur inter sidera collocasse. Hos autem Hœdos Cleostratus Tenedius dicitur primus inter sidera ostendisse. Musæus autem dicit Iouem nutritum a Themide & Amaltheæ nympha, quibus eum mater Ops tradidisse existimatur: Amaltheam autem habuisse capram quandam vt in deliciis, quæ Iouem dicitur aluisse. Nonnulli etiam Ægã Solis filiam dixerunt, multis candore corporis præstantem, cui contrarius pulchritudini horribilis aspectus existebat: quo Titanes perterriti petierunt a Terra vt eius corpus obscuraret: quã Terra specu quodã celasse dicitur in insula Creta: quæ postea Iouis fuisse nutrix, vt ante ostendimus, demonstratur. Sed cum Iupiter fidens adolescentia, bellum contra Titanas appararet: responsum

sponsum est ei, si vincere vellet, vt αἰγὸς pelle tectus & Capite Gorgonis, bellum administraret, quam Ægida Græci appellauerunt. Itaque facto eo quod supra declarauimus, Iupiter Titanas superans regnum est adeptus, & reliqua ossa αἰγὸς caprina pelle contecta, anima donauit, & stellis figuratam memoriæ commendauit: & postea quibus ipse vicerat tectus, Mineruæ concessit. Euhemerus ait Ægam quãdam fuisse Panos vxorem: eam ab Ioue compressam peperisse: quem viri sui Panos diceret filium. Itaque puerum Ægipana, Iouem vero Ægiochũ dictum: qui, quod eum diligebat plurimum, inter astra capræ figura, memoriæ caula collocauit.

OPHIVCHVS, qui apud nostros scriptores Anguitenens dictus est, supra Scorpionem constitutus, tenens manibus anguem medium corpus eius implicantem. Hunc complures Carnabonta dixerunt nomine, Getarũ regem, qui sunt in Mysia regione, fuisse: qui eodem tempore regno est potitus, quo primum semina frugum mortalibus tradita esse existimantur. Ceres enim cũ sua beneficia largiretur hominibus, Triptolemi, cuius ipsa fuerat nutrix, in curru draconum collocatum (qui primus hominum vna rota dicitur vsus, ne cursu moraretur) iussit omnium nationũ agros circumeuntem semina partiri, quo facilius ipsi posterique eorum a fero victu segregarentur. Qui cum peruenisset ad eum, quem supra diximus, Getarum regem, ab eo primum hospitaliter acceptus: deinde, non vt beneficus aduena & innocẽs, sed vt crudelissimus hostis insidiis captus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliorũ paratus producere, suã pene perdidit vitã. Carnabontis enim iussu cũ draco vnus eorũ esset interfectus, ne eum Triptolemus sensisset insidias sibi parari, curru præsidium sibi constituere speraret: Ceres eo venisse, & erepto adolescenti currum, dracone altero subiecto, reddidisse: regem pro cœpto maleficio pœna non mediocri affecisse. Hegesianax enim dicit, Cererem memoriæ hominum causa ita Carnabonta sideribus figurasse, manibus tenentem draconem, vt interficere existimetur: qui ita vixerat acerbe, vt iocũdissimam sibi conscisceret mortem. Alij autem Herculem esse demonstrant, in Lydia apud flumen Sagarim anguem interficientem: qui & homines complures interficiebat, & ripam frugibus orbabat. Pro quo facto ab regina Omphala quæ ibi regnabat, multis ornatum muneribus Argos remissum: ab Ioue autem propter fortitudinem inter sidera collocatum. Nonnulli etiam Triopam Thessalorum regem dixerunt esse: qui cum suum domicilium tegere conaretur, Cereris ab antiquis collocatum diruit templum. Pro quo facto a Cerere fame obiecta, nunquam postea frugibus vllis saturari potuisse existimatur. Nouissime prope ad terminum vitę dracone objecto, mala plurima perpessus, aliquando mortẽ adeptus, inter astra Cereris voluntate est constitutus. Itaque adhuc videtur eum draco circumplexus æterna mœrentem afficere pœna. Polyzelus autem Rhodius hunc Phorbanta nomine demonstrat, qui Rhodiis auxilio maximo fuisse demonstratur. Nam cum eorum insulam serpentium

tium multitudine occupatam, eiues Ophiusam appellassent, & in ea multitudine ferarum draco fuisset ingenti magnitudine, qui plurimos eorum interfecisset, & patria denique deserta carere coegisset, dicitur Phorbas Triopæ filius ex Hiscilla Myrmidonis filia natus, eo tempestate delatus, omnes feras & eum draconem interfecisse: qui cum maxime Apollini dilectus esset, locatus inter sidera dicitur, vt interficiens draconem, laudis & memoriæ causa videretur. Itaque Rhodij quotiescunque a litore longius prodeunt, classes prius sacrificant Phorbantis aduentui, talis vt illis euentus inopinatæ virtutis accidat ciuibus qualis inscium Phorbanta futuræ laudis ad sidera gloriæ pertulit casus. Complures etiam astrologi hunc Æsculapium finxerunt, quem Iupiter Apollinis causa inter astra collocauit. Æsculapius enim cum esset inter homines, & tantum medicina cæteris præstaret, vt non satis ei videretur hominum dolores leuare, nisi etiam mortuos reuocaret ad vitam, nouissime fertur Hippolytum, qui iniquitate nouercæ, & inscientia patentis erat interfectus, sanasse, ita vti Eratosthenes dicit. Nonnulli Glaucum Minois filium eius opera reuixisse dixerunt: pro quo vt peccato, Iouem domum eius fulmine incendisse: ipsum autem propter artificium & Apollinem eius patrem inter sidera anguem tenentem constituisse. Vt quidam dixerunt, hac de causa anguem dicitur tenere: quod cum Glaucum cogeretur sanare, conclusus quodam loco secreto, bacillum tenens manu cum quid ageret cogitaret, dicitur anguis ad hac

Universidad de Deusto
Biblioteca

cillum eius arrepsisse : quem Æsculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens sæpius. Postea fertur alter anguis eodem venisse, ore ferens herbam, & in caput eius imposuisse: quo facto, vtrosque loco fugisse : quare Æsculapium vlum, & eadem herba Glaucum reuixisse. Itaque anguis & in Æsculapij tutela. & in astris dicitur collocatus : qua consuetudine ducti posteri eius tradiderunt reliquis, vt medici anguibus vterentur.

SAGITTA. Hanc vnam de Herculis telis esse demonstrant, qua Aquilam dicitur interfecisse, quæ Promethei iocinora fertur exedisse : de quo pluribus verbis dicere non inutile videtur. Antiqui cum maxima cerimonia deorum immortalium sacrificia administrarent, soliti sunt totas hostias in sacrorum cõsumere flamma. Itaque cũ propter sumptus magnitudinem sacrificia paupertibus non obtingerent. Prometheus qui propter excellentiam ingenij miram, homines finxisse existimatur, recutatione dicitur ab Ioue impetrasse, vt partem hostiæ in ignem conicerent, partem in suo consumere ut victu : idque postea consuetudo confirmauit. Quod cum facile a deo, nõ vt ab homine auaro impetrasset, ipse Prometheus immolat tauros duos. quorum primum iocinora cum in ara posuisset, reliquam carnem ex vtroque tauro in vnum compositam corio bubulo texit: ossa autem quæ circa fuerunt reliqua, pelle contecta in medio collocauit, & Ioui fecit potestatem vt quam vellet eorum sumeret partem. Iupiter autem etsi non pro diuina fecit cogitatione, neque vt deũ licebat, omnia quæ debuit ante prouidere: sed (quoniam credere instituimus historiis) deceptus a Prometheo, vtrunque putans esse taurum, delegit ossa pro sua dimidia parte. Itaque postea in solennibus & religiosis sacrificiis carne hostiarum consumpta, reliquias quæ pars fuit deorum, eodem igni comburunt. Sed vt ad propositum reuertamur: Iupiter cum factum resciisset, animo permoto mortalibus eripuit ignem : ne Promethei gratia plus deorum potestate valeret, neue carnis vsus vtilis hominibus videretur, cum concoqui non posset. Prometheus autem consuetus insidiari, sua opera ereptum mortalibus ignem restituere cogitabat. Itaque cæteris remotis, deuenit ad Iouis ignem: quo diminuto & in ferulam coniecto, lætus vt volare, non currere videretur. ferulam iactans, ne spiritus intercluſus vaporis extingueret in angustia lumen. Itaque homines adhuc plerunque qui lætitiæ fiunt nuncij, celerrime veniunt. Præterea in certatione ludorum cursoribus instituerunt ex Promethei consuetudine, vt currerent lampadem iactantes. Pro quo Iupiter facto mortalibus parem gratiam referens, mulierem tradidit his, quam a Vulcano factam deorum voluntate omni munere donauit. itaque Pandora est appellata. Prometheum autem in monte Scythiæ nomine Caucaso ferrea catena vinxit: quem alligatum ad triginta milia annorum Æschylus tragœdiarum scriptor ait. Præterea admisit ei aquilam, quæ assidue noctu renascentia iocinora exesset. Hanc autem aquilam nonnulli ex Typhone & Echid-

Universidad de Deusto
Biblioteca

na natam: alij ex Terra & Tartaro : complures Vulcani factam manibus demonstrant, animamque ei ab Ioue traditam dicunt. Sed de eius solutione hæc memoriæ prodita est causa : Cum Iupiter Thetidis connubium pulchritudine corporis inductus peteret, neque a timida virgine impetraret, neque ea re minus efficere cogitaret, illo tempore Parcæ feruntur cecinisse fata, quæ perfici natura voluit rerum. dixerunt enim, quicunque Thetidis fuisset maritus, eius filium patre fore laude clariorem : quod Prometheus non voluntate, sed necessitudine vigilans, auditū Ioui nunciauit: qui veritus id quod ipse Saturno patri fecisset in simili causa, ne patris regno priuatus cogeretur, destitit Thetin velle ducere vxorem: & Prometheo pro beneficio meritam retulit gratiam, eumque vinculis liberauit : neque id quod fuerat iuratus, remisit vacuum omni alligationi futurum. Sed memoriæ causa ex vtraque re; hoc est lapide & ferro, digitum sibi vinciri iussit: qua consuetudine homines vsi, quo satisfacere Prometheo viderentur, anulos lapide & ferro conclusos habere cœperunt. Nonnulli etiam coronam habuisse dixerunt, vt se victorem impune peccasse diceret. Itaque homines in maxima lætitia victoriisque coronas habere instituerunt: id in exercitationibus & cōuiuiis perspicere licebit. Sed, opinor, ad initium causæ & interitum Aquilæ reuertamur. Hercules missus ab Euristheo ad Hesperidum mala, nescius viæ deuenit ad Promethea, quem in Caucaso mōte vinctum fuisse supra diximus: a quo via demonstrata

victoriæ,

victoriæ, dum iter faceret, contendit vt & draconem, de quo ante diximus, interfectum diceret, & gratiam pro beneficio referret : nam confestim honorem quem potuit, reddidit merenti. Quæ dimissa homines instituerunt, vt hostiis immolatis iocinora consumerent in deorum altaribus, vt exsaturare eos pro vlceribus Promethei viderentur. Vt Eratosthenes autem de Sagitta demonstrat, hac Apollo Cyclopas interfecit, qui fulmen Ioui fecerunt, quo Æsculapium interfectum complures dixerunt. Hanc autem sagittam in Hyperboreo monte Apollinem defodisse. Cū autem Iupiter ignouerit filio, ipsam sagittam vēto ad Apollinem perlatam cum frugibus, quæ eo tempore nascebātur. Hanc igitur ob causam inter sidera demonstrant.

AQVILA. Hæc est quæ dicitur Ganymedē rapuisse, & amanti Ioui tradidisse: hanc etiā Iupiter primus ex auiū genere sibi delegisse existimatur: quæ sola tradita est memoriæ, cōtra solis exoriētis radios contendere volare: itaque super Aquariū volare videtur. Hūc enim cōplures Ganymedē esse finxerūt. Nonnulli etiā dixerunt Meropē quendā fuisse, qui Coō insulā tenuerit regno, & a filiæ nomine Coon. & homines ipsos a se Meropas appellaret. Hunc autē habuisse vxorē quandā nomine Ethemeam, genere Nympharum procreatā: quæ cum desierit colere Dianam, ab ea sagittis figi cœpit, tandemque a Proserpina viua ad inferos arrepta est : Meropem autē desiderio vxoris permotū, morte sibi consciscere voluisse: Iunonem autem misertam eius in Aquilam

Universidad de Deusto
Biblioteca

corpus eius conuertisse,& inter sidera constituisse:ne si hominis effigie cum collocaret, nihilominus memoriam tenens,cõiugis desiderio moueretur.Aglaosthenes autem qui Naxica scripsit, ait Iouem Cretæ surreptum.Naxum delatum,& ibi esse nutritum:qui postquam peruenerit,advirilẽ ætatem.& voluerit bello lacessere Titanas, sacrificanti ei Aquilam auspicatam:quo auspicio vsum esse.& eam inter astra collocasse. Nonnulli etiam dixerunt Mercurium,alij autem Anapladẽ pulchritudine Veneris inductum in amorem incidisse:& cum ei copia non fieret animum,vt cõtumelia accepta defecisse: Iouem autem misertum eius,cum Venus in Acheloo flumine corpus ablueret, misisse aquilam quæ soccum eius in Amythaoniam Ægyptiorum delatum Mercurio traderet:quem persequens Venus ad cupientem sui peruenit:qui copia facta,pro beneficio Aquilam in mundo collocauit.

DELPHINVS. Hic qua de causa sit inter astra collocatus , Eratosthenes ita cum cæteris dicit: Neptunum quo tempore voluerit Amphitritem ducere vxorem,& illa cupiens conseruare virginitatem, fugerit ad Atlãta,complures eam quæsitum dimisisse: in his & Delphina quendam nomine,qui peruagatus insulas,aliquando ad virginem peruenit,eique persuasit vt nuberet Neptuno,& ipse nuptias eorum administrauit:pro quo facto inter sidera Delphini effigiem collocauit. Et hoc amplius:qui Neptuno simulacra faciunt, Delphinum aut in manu,aut sub pede eius constituere videmus , quod Neptuno gratissimum esse

esse arbitrantur.Aglaosthenes autem qui Naxica conscripsit,Tyrrhenos ait fuisse quoldam nauicularios,qui puerum etiam Liberum patrem receptum, vt Naxum cum suis comitibus transuectum,redderent nutricibus Nymphis: a quibus cum nutritũ & nostri in progenie deorum esse, & complures Græci dixerunt. Sed vt ad propositum reuertamur, nauicularij spe prædæ inducti, nauem auertere voluerunt : quod Liber suspicatus,comites suos iubet symphoniam canere: quo sonitu inaudito Tyrrheni, cum vsque adeo delectarentur , vt etiam in saltationibus essent occupati,cupiditate saltandi se in mare proiecerunt insci; & ibi delphini sunt facti: quorum cogitationem cum Liber memoriæ hominum tradere voluisset, vnius effigiem inter sidera collocauit. Alij autem dicunt,hunc esse Delphina,qui Arionа citharœdum ex Siculo mari Tænarum transuexit: qui cum cæteros artificio præstaret,& circum insulas quæstus causa vagaretur , seruuli eius arbitrati plus in perfidiosa libertate cõmodi,quam in placida seruitute esse,cogitare cœperunt,vt domino in pelagus proiecto, bona eius inter se partirentur.qui cum cogitationem eorum sensisset,petit non vt dominus a seruis, & innocens ab improbis,sed vt parens a filiis, vt se liceret ornare,qua sæpe vicerat veste , quoniam nemo esset alius qui,vt ipse,suum quæstu prosequeretur euentum. Quod cum impetrasset,cithara sumpta,suam cœpit deflere mortem: quo sonitu ducti delphines,e toto mari pronarant ad Arionis cantum. Itaque deorum immortalium pote-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtate inuocata, ſuper eos ſe deiecit: quorum vnus Ariona exceptum pertulit ad Tænarium litus. Cuius memoriæ cauſa, quæ ibi ſtatua eſt Arionis. Inea delphini ſimulachrum affixum videtur: pro qua re inter ſidera ab antiquis aſtrologis eſt figuratum. Serui autem, qui ſe putabant ieruitute elapſos, tempeſtate Tænarum perducti, a domino comprehẽſi, non mediocri ſupplicio ſunt affecti.

EQVVS. Hunc Aratus & alij complures, Pegaſum Neptuni & Meduſæ Gorgonis filium dixerunt: qui in Helicone Bœotia monte vngula feriens ſaxum, fontem aperuit, qui ex eius nomine Hippocrene eſt appellatus. Alii dicunt, quo tempore Bellerophontes ad Prœtum Abantis filium, Argiuorum regem deuenerit. Antiam regis vxorem hoſpitis amore inductam, periiſſe ab eo vti ſibi copiam faceret, promittens ei coniugis regnum. Quæ cum impetrare non poſſet, verita ne ſe ad regem criminaretur, occupat: eum ſibi vim afferre voluiſſe Prœto dicit. Qui quod eum dilexerat, noluit ipſe ſupplicium ſumere, ſed quod æquum eſſe ſciebat, mittit eum ad Iobaté Antiæ patrem, quam alij Sthenobœam dixerunt: vt ille filiæ pudicitiam defendens, Bellerophonté obiiceret Chimæræ, quæ eo tempore Lyciorum agros flamma vaſtabat. Vnde victor profugiens, poſt fontis inuentionem cum ad cælum contenderet euolare, neque longe iam abeſſet, deſpiciẽs am ad terram, timore permotus decidit, ibique eriſſe dicitur: equus autem ſubuolaſſe, & inter ſidera ab Ioue conſtitutus exiſtimatur. Alij non criminatum ab Antia, ſed ne ſæpius audiret quod nollet

nollet, aut precibus eius moueretur, profugiſſe Argis dixerunt. Euripides autem in Menalippa, Hippen Chironis centauri filiam Thean antea appellatam dicit, quæ cum aleretur in monte Pelio, & ſtudium in venando maximum haberet, quodam tempore ab Æolo Hellenis filio Iouis nepote perſuaſam, concepiſſe: cumque iam partus, appropinquaret, profugiſſe in ſyluam, ne patri, cum virginem ſperaret, nepotem procreaſſe videretur. Itaque cum parens eã perſequeretur, dicitur illa petiſſe a deorum poteſtate, ne pariens a parente conſpiceretur. Quæ deorum voluntate poſtquam peperit, in equam conuerſa, inter aſtra eſt conſtituta. Nonnulli eam vatem dixerunt fuiſſe: ſed quod deorum conſilia hominibus ſit enunciare ſolita, in equam eſſe conuerſam. Callimachus autem air, quod deſierit venari & colere Dianam, in quam, ſupra ſpeciem diximus, eam Dianam conuertiſſe. Hæc dicitur etiam hac re non eſſe in conſpectu Centauri, quem Chirona eſſe nonnulli dixerunt: & etiam dimidiam apparere, quod noluerit ſciri, ſe fœminam eſſe.

DELTOTON. Hoc ſidus velut litera eſt Græca in triangulo poſita: itaque appellatur; quod Mercurius ſupra caput Arietis ſtatuiſſe exiſtimatur ideo, vt obſcuritas Arietis huius ſplendore, quo loco eſſet, ſignificaretur, & Iouis nomine, Διός, primã literã deformaret. Nonnulli Ægypti poſitionem: alij, qua Nilus terminaret Æthiopiã & Ægyptum dixerunt: alij Siciliam figuratam putauerunt: alij quod orbem terrarum ſuperiorẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

trifariam diuiserunt, tres angulos esse constitutos dixerunt.

ARIES. Hic existimatur esse, qui Phrixum trãstulisse & Hellen dictus est per Hellespontum: quem Hesiodus & Pherecydes ait habuisse aureã pellem: de qua alibi plura dicemus. Sed Hellen decidisse in Hellespontum, & a Neptuno compressam, Pæona procreasse complures, nonnulli Hedonum dixerunt. Præterea Phrixum incolumem ad Æetã peruenisse, arietem Ioui immolasse, pellem in templo fixisse, & arietis ipsius effigiem ab Nube inter sidera constitutam, habere tempus anni quo frumentum seritur: ideo quod hortum seuerit ante, quæ maxime fugæ fuit causa. Et Eratosthenes ait, arietem ipsum sibi pellem auream detraxisse, & Phrixo memoriæ causa dedisse, ipsum ad sidera peruenisse: quare, vt supra diximus, obscurius videatur. Hunc autem nonnulli dixerunt in oppido Orchomenio, quod est in Bœotia, natum. Alij in Salonum Thessaliæ finibus procreatum. Alij dicunt Crethea & Athamantem cum aliis pluribus Æoli filios fuisse. Nõnulli etiam Athamantis filium Salmonea esse, Æoli nepotem dixerunt. Crethea autem habuisse Demodicen vxorem, quam alij Biadicen dixerũt. Hanc autem Phrixi Athamantis filii corpore inductam, in amorem incidisse: neque ab eo vt sibi copiam faceret, impetrare potuisse: itaque necessario coactam, criminari eum ad Crethea cœpisse, quod diceret ab eo vim sibi pene illatã, & horum similia mulierum consuetudine dixisse. Quo facto Crethea, vt vxoris amantem & regem decebat,

bat, permotum, Athamanti vt de eo supplicium sumeret persuasisse. Nubem autem interuenisse, & ereptum Phrixum & Hellen eius sororem in Arietem imposuisse &, per Hellespontum quam longissime posset, profugere iussisse. Hellen decidisse, & ibi debitũ naturæ reddidisse, & ex eius nomine Hellespontum appellatum. Phrixum Colchos peruenisse, &, vt ante diximus, Arietis interfecti pellem in templo fixisse: ipsum autem a Mercurio ad Athamantem esse reductum: qui patri eius satisfecerit, cum innocentia confisum profugisse. Hermippus autem dicit, quo tempore Liber Africam oppugnauerit, deuenisse cum exercitu in eum locum, qui propter multitudinẽ pulueris Hammodes est appellatus. Itaque cum in maximum periculum deueniisset, quod iter necessario faciendum esse videbat, accessit eo, vt aquæ maxima penuria esset: quo facto exercitus ad defectionem maximam venire cogebatur. Qui quid agerent dum cogitant, Aries quidam fortuitu ad milites eorum errans peruenit: quos cũ vidisset, fuga præsidium sibi parauit. Milites autẽ qui eum fuerant conspicati, etsi puluere & æstu pressi vix progrediebantur, tamen vt prædam ex flamma petentes, arietem sequi cœperunt vsque ad eum locum, qui Iouis Hammonis postea templo constituto est appellatus. Quo cum peruenissent arietem quem consecuti fuerant, nusquam inuenire potuerũt: sed quod magis his fuerat optandum, aquæ magnam copiam in eo loco nacti sunt, corporibusque recuperatis Liberostatim nunciauerũt. Qui gauisus, ad eos fines exerci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum deduxit. & Iouis Hammonis templum eum arietinis cornibus simulacro facto constituit. Arietem inter sidera figurauit, ita, vt cum Sol in eius foret signo, omnia nascentia recrearentur, quæ veris tempore consiunt: hac re maxime, quod illius fuga Liberi recreauit exercitum. Præterea XII signorum principem voluit esse: quod illius optimus exercitui fuerit ductor. Sed de Hammonis simulacro, Leon qui res Ægyptias conscripsit, ait: Cum Liber Ægyptum & reliquos fines regno teneret, & omnia primus hominibus ostendisse diceretur, Hammonem quendam ex Africa venisse, & pecoris multitudinem ad Liberum adduxisse, quo facilius & eius gratia vteretur, & aliquid primus inuenisse diceretur. Itaque pro beneficio ei Liber existimatur agrum dedisse qui est contra Thebas Ægyptias: & qui simulacra faciunt Hammonis, capite cornuto instituunt, vt homines memoria teneant, eum primum pecus ostendisse. Qui autem Libero factũ velnerunt assignare, quod non petierit ab Hammone, sed vltro ad eum sit adductus, Liberi cornuta simulacra fecerunt, & Arietem memoriæ causa inter sidera fixum dixerunt.

TAVRVS. Hic dicitur inter astra esse constitutus, quod Europam incolumem transuexerit Cretam, vt Euripides dicit. Nonnulli aiunt, cũ in boue sit cõuersa, vt Iupiter ei satisfacere videretur, inter sidera constituisse: quod eius prior pars appareat vt tauri, sed reliquum corpus obscurius videatur. Spectat autem ad exortum solem: cuius oris effigiem quæ continens stellæ, Hyades appellantur.

pellantur. Has autem Pherecydes Athenienſis Liberi nutrices esse demõstrat, numero septem, quas etiam antea Nymphas Dodonidas appellatas. Harum nomina sunt hæc: Ambrosia, Eudora, Phesyle, Coronis, Polyxo, Phæo, Thyene. Hæ dicuntur a Lycurgo fugatæ, & præter Ambrosiã omnes ad Tethyn profugisse, vt ait Asclepiades. Sed vt Pherecydes dicit, ad Thebas Liberũ perlatum Iunoni tradiderunt. Quam ob causam ab Ioue gratia eis est relata, quod inter sidera sunt constitutæ. Pleiades autem appellatæ sunt, vt ait Mnaseas, quod ex Atlante & Pleione Oceani filia sint quindecim filiæ procreatæ, quarum quinque Hyades appellatas demonstrat, quod earum Hyas fuerit frater, a sororibus plurimum dilectus: qui cum venans a leone esset interfectus, quinque de quibus supra diximus lamentationibus assiduis permotæ dicũtur interisse: quare eas, quod plurimum de eius morte laborarent, Hyadas appellatas. Reliquas autem decem sorores deliberasse de sororum morte, & earum septem sibi mortem consciisse: quare, quod plures idem senserunt, Pleiadas dictas. Alexander autem Hyadas ait dictas, quod Hyantis & Bœotiæ sunt filiæ: Pleiadas autem quod ex Pleione Oceani filia, & Atlante sunt natæ. Hæ numero septem dicuntur: sed nemo amplius quam sex videre potest. Cuius causa proditur hæc, quod de septem, sex cum immortalibus concubuerunt, tres cum Ioue, duæ cum Neptuno, vna cum Marte, reliqua autem Sisyphi fuisse vxor demonstratur. Quarum ex Electra & Ioue, Dardanum: ex Maia, Mercuriũ: ex Taygete

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lacedæmona procreatum: ex Alcyone autem & Neptuno, Hyrea: ex Celeno Lycum & Nyctea natum. Martem autem ex Sterope OEnomaum procreasse, quam alij Oenomai dixerunt vxorẽ: Meropem autem Sisypho nuptã Glaueũ genuisse quem complures Bellerophontis patrẽ esse dixerunt. Quare propter reliquas sorores eius inter sidera constitutam. sed quod homini nupserit, stellam eius obscuratam. Alii dicunt Electram non apparere ideo quod Pleiades existimentur choream ducere stellis. Sed postquam Troia sit capta, & progenies eius quę a Dardano fuerit, sit euersa, dolore permotam, ab his se remouisse, & in circulo qui Arcticus dicitur cõstitisse: & quodam longo tempore lamentantem capillo passo videri, itaque e facto Cometem esse appellatam. Sed has Pleiadas antiqui astrologi seorsum a Tauro deformauerunt, vt ante diximus, Pleiones & Atlantis filias, quæ cum per Bœotiamcum puellis iter faceret, Oriona concitatum voluisse ei vim afferre, illam fugere cœpisse: Oriona autẽ secutũ esse annis septẽ, neque eam inuenire potuisse. Ioue autẽ puellarũ misertum, inter astra constituisse: & postea a nonnullis astrologis caudam Tauri appellatas. Itaque adhuc Orion fugientes eas ad occasum sequi videtur. Eas stellas Vergilias nostri appellauerunt, quod post ver exoriuntur: & hæ quidem ampliorem cæteris habent honorem: quod in earum signo exoriente Sole, æstas significatur: occidente autem, hiems ostenditur, quod aliis nõ est traditum signis.

GEMINI.

GEMINI. Hos complures astrologi Castorem & Pollucẽ esse dixerũt: quos demonstrant omniũ fratrum inter se amantissimos fuisse, quod neque de principatu contenderũt, neque vllam rem sine cõmuni consilio gesserũt. Pro quibus officiis corũ Iupiter inter notissima sidera eos cõstituisse existimatur. Neptunũ autẽ pari cõsilio munerasse: nam equos his quibus vtuntur, donauit: & dedit potestatem naufragis saluti esse. Alij dixerũt Herculem esse & Apollinẽ. Nõnulli etiã Triptolemum, quem supra diximus. & Iasiona a Cerere dilectos, & ad sidera perlatos. Sed qui de Castore & Polluce dicunt, hoc amplius addũt, vt Castor in oppido Ariadnis sit occisus, quo tẽpore Lacedæmonij cũ Atheniẽsibus bellũ gesserũt. Alij aũt cũ oppugnarent Spartã Lynceus & Idas, ibi petisse dixerũt. Pollucem ait Homerus concessisse fratri dimidiam vitam: itaque alternis diebus eorum quenque lucere.

CANCER. Hic dicitur Iunonis beneficio inter astra collocatus: quod cũ Hercules cõtra Hydram Lernæã constitisset, ex palude pedem eius mordicus arripuisset: qua de re Herculem permotum, eum interfeciſſe: Iunonem autem inter sidera constituisse, vt esset cum duodecim signis, quæ maxime solis cursu continentur. In eius deformationis parte sunt quidam qui Asini appellantur: a Libero in testa Cancri duabus stellis figurati. Liber enim a Iunone furore obiecto, dicitur mente captus fugisse per Thesprotiam, cogitans ad Iouis Dodonæi templum peruenire, vnde peteret responsum, quo facilius

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad priſtinum ſtatum mentis peruenire: ſed cum veniſſet ad quandam paludem magnam quam tranſire non poſſet, de quibuſdam duobus aſellis obuiis factis dicitur vnum deprehendiſſe eorum, & ita eſſe tranſuectus, vt omnino aquam non tetigerit. Itaque cum veniſſet ad templum Iouis Dodonæi, ſtatim dicitur furore liberatus, & aſellis gratiam retuliſſe, & inter aſtra eos collocaſſe. Nonnulli etiam dixerunt aſino illi quo fuerat vectus, vocem humanam dediſſe. Itaque poſtea cũ cum Priapo de Natura contendiſſe, & victum ab eo interfectum. Pro quo Liberum eius miſertũ in ſideribus annumeraſſe. Et vt ſciretur id pro deo, non pro homine timido (quia Iunonem fugerit) feciſſe, ſupra cancrum conſtituit, qui deæ beneficio fuerat affixus aſtris. Dicitur etiam alia hiſtoria de Aſellis, vt ait Eratoſthenes: Quo tempore bello gigantibus indicto, ad eos oppugnandos omnes deos cõuocauit, veniſſe Libetum patrem, Vulcanum, Satyros, Silenos aſellis vectos: qui cum non longe ab hoſtibus abeſſent, dicuntur aſelli pertimuiſſe, & ita pro ſe quiſque magnũ clamorem & inauditum gigantibus feciſſe, vt omnes hoſtes eorum clamore in fugam ſe coniecerint, & ita ſint ſuperati. Huius ſimilis eſt hiſtoria de buccina Tritonis. Nam is quoque fertur, cum concham inuentam excauaſſet, ſecum ad gigantes tuliſſe, & ibi ſonitum quendam inauditũ per concham miſiſſe. Hoſtes autem veritos ne qua eſſet immanis fera ab aduerſariis adducta, cuius eſſet ille mugitus, fugæ ſe mandaſſe, & ita victos in hoſtium poteſtatem peruenisſe.

LEO

LEO. Hic dicitur a Ioue conſtitutus, quod omnium ferarum princeps eſſe exiſtimatur: Nonnulli etiam hoc amplius dicunt, quod Herculi prima fuerit hæc certatio, & quod eum interfecerit. De hoc & Piſandrus & cõplures alij ſcripſerũt: cuius ſupra ſimulacrum proximum eſt virgini. Sunt aliæ VII. ſtellæ ad caudam Leonis in triangulo collocatæ, quas crines Berenices eſſe Conon Samius mathematicus & Callimachus dicit: cum Ptolemæus Berenicem Ptolemæi & Ariſtonis filiam ſororem ſuam duxiſſet vxorem, & paucis poſt diebus Aſiam oppugnatam profectus eſſet, vouiſſe Berenicen, ſi victor Ptolemæus rediſſet, ſe detonſuram crinem: quo voto damnatum crinem in Veneris Arſinoes Zephyritidis poſuiſſe templo: eũque poſtero die non comparuiſſe: quod factum cum rex ægre ferret, Conon mathematicus (vt ante diximus) cupiens inire gratiam regis, dixit crinem inter ſidera videri collocatum: & quaſdam vacuas a figura ſeptem ſtellas oſtendit quas eſſe fingeret crinem. hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, & ad Olympia mittere conſuetam fuiſſe. Alij dicũt hoc amplius, Ptolemæum Berenices patrem multitudine hoſtium perterritum, fuga ſalutem petiſſe: filiam autem ſæpe conſuetã, inſiliiſſe in equum, & reliquam exercitus copiam conſtituiſſe, & complures hoſtium interfeciſſe, reliquos in fugam coniecciſſe, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. Eratoſthenes autem dicit & virginibus Lesbiis dotem quam cuique relictam a parente nemo ſolueret, iuſſiſſe

reddi:& inter eas constituisse petitionem.

VIRGO. Hanc Hesiodus Iouis & Themidis filiam dicit: Aratus autem Astræi & Auroræ filiã existimari, quod eodem tempore fuerit cum aurea secula hominum, & eorum principem fuisse demonstrat: quam propter diligentiam & æquitatem, Iustitiam appellatam: neque illo tempore ab hominibus exteras nationes bello lacessitas esse, neque nauigio quenquam vsum esse, sed agris colendis vitam agere consuemisse. Sed post eorum obitum qui sint nati, eos minus officiosos, magis auaros cœpisse fieri: quare minus Iustitiam inter homines fuisse conuersatam. Denique eam peruenisse vsque eo, dũ diceretur: Heu heu genus hominũ natũ. Itaque iã nõ potuisse pati amplius, & ad sidera euolasse. Sed hãc alij Fortunã, alij Cererẽ dixerũt: & hoc magis nõ conuenit inter eos, quod caput eius nimium obscurum videtur. Nonnulli etiam Erigonen Icarij filiam dixerunt, de qua supra diximus. Alij autem Apollinis filiam ex Chrysothemi natam, & infantem Parthenon nomine appellatam: eamque quod parua interierit, ab Apolline inter sidera collocatam.

SCORPIVS. Hic propter magnitudinẽ membrorum in duo signa diuiditur, quorũ vnius effigiem nostri Librã dixerunt. Sed omnino totũ signum hac de causa staturum existimatur, quod Orion cum venaretur, & in eo exercitatissimum se esse confideret, dixisse etiã Dianæ & Latonæ, se omnia quæ ex terra exoriãtur, interficere valere. Quare Terram permotam, Scorpionem misisse, qui

qui eum interficere demonstratur. Iouem autem vtriusque animum admiratum, Scorpionem inter astra collocasse, vt species eius hominibus documento esset, ne quis eorum de aliqua re sibi confideret. Dianam autem propter stuprũ Orionis petisse a Ioue, vt idem illi beneficium daret petenti, quod Terræ vltro tribuisset. Itaque eum constitutum, vt cum Scorpius oriatur, Orion occidat.

SAGITTARIVS. Hunc complures Centaurũ esse dixerunt: alij autẽ hac de causa negauerunt, quod nemo Centaurus sagittis sit vsus. Hic autẽ quæritur, cur equinis cruribus sit deformatus, & caudã habeat vt Satyri. Dicunt enim nõnulli hũc esse Crotũ nomine, Euphemes Musarũ nutricis filium, vt ait Sositheus tragœdiarum scriptor: eũ domiciliũ in mõte Helicone habuisse, & cũ Musis solitum delectari, nonnunquã etiam studio venationis exerceri. Itaque pro merita diligentia magnã laudem assecutum. nam & celerrimum in syluis, & acutissimũ in musis factum esse. Pro quo studio illius petisse Musas ab Ioue, vt in aliquo astrorum numero deformaretur. Itaque Iouẽ fecisse, vt cum omnia illius artificia vno corpore vellet significare, crura eius equina fecisse, quod equo multum sit vsus: & sagittas pro ingenio adiunxisse, vt ex his & acumen & celeritas esse videretur: Caudam satyricam in corpore fixisse, quod non minus hoc Musæ, quam Liber Satyris sit delectatus. Ante huius pedes stellæ sunt paucæ in rotundo deformatæ, quas coronam eius vt lucentis abiectam, nonnulli dixerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPRICORNVS. Huius effigies similis est Ægipani: quem Iupiter, quod cum eo erat nutritus, in sideribus esse voluit, vt Capram nutricem, de qua ante diximus. Hic etiam dicitur, cum Iupiter Titanas oppugnaret, primus obiecisse hostibus timorem qui πανικὸς appellatur, vt ait Eratosthenes: hac etiam de causa eius inferiorem partem piscis esse formationē, quod muricibus, id est maritimis conchyliis, hostes sit iaculatus pro lapidum iactatione. Ægyptij autem sacerdotes & nonnulli poetę dicunt, cum complures dij in Ægyptum conuenissent, repente venisse eodem Typhona acerrimum giganta, & maxime deorum inimicum: quo timore permotos in alias figuras se conuertisse, Mercurium factum esse Ibin, Apollinem autem quæ Threicia auis vocatur: Dianam merulam simulatam. Quibus de causis Ægyptios ea genera violari non sinere demonstrant: quod deorum imagines dicantur. Eodem tempore Pana dicunt in flumen se deiecisse, & posteriorem partem corporis, effigiem piscis, alteram autem hirci fecisse, & ita a Typhone profugisse: cuius cogitatum Iouem admiratū, effigiem eius inter sidera fixisse.

AQVARIVS. Hunc complures Ganymedem esse dixerunt: quem Iupiter propter pulchritudinem corporis ereptum parentibus, deorum ministrum fecisse existimatur. Itaque ostenditur vt aquam aliquo infundens. Hegesianax autem Deucaliona dicit esse: quod eo regnante, tanta vis aquæ se de cœlo profuderit, vt cataclysmus factus esse diceretur. Eubulus autem Cecropem demon-

demonstrat esse, antiquitatem generis commemorans, & ostendens antequam vinum traditum sit hominibus, aqua in sacrificiis deorum vsos esse, & ante Cecropem regnasse, quam vinum sit inuentum.

PISCES. Diogenetes Erythraeus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem venisse, & eodem loco repente Typhona giganta, de quo supra diximus, apparuisse. Venerem autem cum filio in flumen se proiecisse, & ibi figuram piscium forma mutasse: quo facto, periculo esse liberatos. Itaque postea Syros qui his locis sunt proximi, destitisse pisces etitare, quod vereantur eos capere: ne simili causa aut deorum præsidia impugnare videantur, aut eos ipsos captare. Eratosthenes autem ex eo pisce natos homines dicit: de quo post dicemus.

CETVS. De hoc dicitur quod a Neptuno sit missus, vt Andromedam interficeret, de qua ante diximus: sed a Perseo sit interfectus, propter immanitatem corporis, & per illius virtutem inter sidera collocatus.

ERIDANVS. Hūc alij Nilum, complures etiā Oceanum esse dixerunt. Qui autem Nilum volūt vocari, propter magnitudinem eius & vtilitatem, æquissimum esse demonstrant: præterea quod infra eum quædam stella sit, clarius cæteris lucēs, nomine Canopos appellata: Canopos autem insula flumine alluitur Nilo.

LEPVS. Hic dicitur Orionis Canem fugere venantis. Nam cum, vt oportebat, cum venatorē

finxissent, voluerunt etiam hoc significare aliqua de causa: itaque leporem ad pedes eius fugientē finxerunt. quem nonnulli a Mercurio constitutū dixerunt, eique datum esse præter cætera genera quadrupedum, vt alios pareret, alios haberet in ventre. Qui autem ab hac causa dissentiunt, negant oportere tam nobilem & tam magnum venatorem, de quo & ante in Scorpionis signo diximus, oportere fingi leporem venari: Callimachum quoque accusari, quod cum Dianæ scriberet laudes, eam leporum sanguine gaudere, & eos venari dixisset. Itaque Oriona cum Tauro decertantem fecerunt. Leporis autem hanc historiam memoriæ prodiderunt: Apud antiquos in insula Lero nullum leporem fuisse, sed ex eorum ciuitate adolescentium quendam studio generis inductum, ab exteris finibus leporem fœminam prægnantem attulisse, & ad eius partum diligentissime ministrasse. Itaque cum peperisset, compluribus eius ciuitatis studium incidisse, & partim precio, partim beneficio mercatos, omnes lepores alere cœpisse. Itaque non longo interuallo tantam multitudinem leporum procreatam, vt tota insula ab his occupata diceretur: quibus cum ab hominibus nihil daretur, in semina eorū impetu facto omnia comederunt. Quo facto incolæ calamitate affecti, cum fame forēt oppressi, cōmuni consilio totius ciuitatis vix denique eos ex insula abegisse dicuntur. Itaque postea leporis figurā in astris cōstituisse, vt homines meminissēt nil esse tam exoptandū in vita, quin ex eo plus doloris quam lætitiæ capere posterius cogerentur.

ORION.

ORION. Hunc Hesiodus Neptuni filium dicit, ex Euryale Minois filia natum. Concessum autem ei, vt supra fluctus curreret, vt in terra: quemadmodum Iphiclo datum dicitur, vt supra aristas curreret, nec eas infringeret. Aristomachus autem dicit quendam Erythrea fuisse Thebis, Pindarus autem in insula Chio. Hunc autem cum Iouem & Mercurium hospitio recepisset, petisse ab his vt sibi aliquid liberorum nasceretur. Itaque quo facilius petitum impetraret, bouem immolasse, & his pro epulis apposuisse: quod cum fecisset, poposcisse Iouem & Mercurium, quod corium de boue fuisset detractum, & quod fecerant vrinæ in corium infudisse, & id sub terra poni iussisse: ex quo postea natum puerum, quem Erythreus e facto Vriona nomine appellaret: sed vetustate & consuetudine factum est, vt Orion vocaretur. Hic dicitur Thebis Chium venisse, & OEnopionis filiam Meropem per vinum cupiditate incensus compressisse: pro quo facto ab OEnopione excæcatus, & de insula eiectus. Existimatur autem Lemnum ad Vulcanum peruenisse, & ab eo quendam ducem Cedaliona nomine accepisse: quem collo ferens ad Solem venisse, & ab eo sanatus, vt se vlciscereturs Chium reuertisse, OEnopiona autem a ciuibus sub terra custoditum esse. Quem postquam se inuenire posse desperaret Orion, in insulam Cretam peruenisse, & ibi venari cœpisse cum Diana, & ei polliceri quæ supra diximus, & ita ad sidera peruenisse. Nonnulli autem aiunt, Orionā cum OEnopione prope nimia coniunctum ami-

citia vixisse: & quod ei voluerit suum studium in venando probare, Dianę quoque pollicitum quę supra diximus, & ita interfectum. Alij dicunt cum Callimacho, cum Dianæ vim voluerit afferre, ab ea sagittis esse confixum, & ad sidera propter venandi consimile studium deformatum. Ister autē dicit Oriona a Diana esse dilectum, & pene factū vxorem nupsisse existimaretur. Quod cum Apollo ægre ferret, & sæpe eam obiurgans nihil egisset, natantis Orionis longe caput solum videri conspicatus, contendit cum Diana, eam non posse sagittam mittere ad id quod nigrum in mari videretur. Quę cum se vellet in eo studio maxime artificem dici, sagitta missa caput Orionis traiecit. Itaque eum cum fluctus interfectum ad litus eiecisset, & se eum Diana percussisse plurimum doleret, multis eius obitum prosecuta lacrimis, inter sidera statuisse existimatur. Sed quæ post mortem eius Diana fecerit, in eius historiis dicemus.

CANIS. Hic dicitur ab Ioue custos Europa appositus esse, & ad Minoa peruenisse, quem Procris Cephali vxor laborantem dicitur sanasse, & pro eo beneficio Canem munere accepisse, quod illa studiosa fuerit venationis: & quod Cani fuerat datum, ne vlla fera præterire eum posset. Post eius obitum Canis ad Cephalum peruenit, quod Procris eius fuerat vxor: quem ille secum ducens Thebas peruenit, vbi erat vulpes cui datum dicebatur, vt omnes Canes effugere posset. Itaque cū in vnum peruenissent, Iupiter nescius quid faceret, vt Ister ait, vtrosque in lapides conuertit. Nonnulli hunc Canem Orionis esse dixerunt, & quod

quod studiosus fuerit venandi, cum eo Canem quoque inter astra collocatum. Alii autem Icarij Canem esse dixerunt, de quo ante diximus: quæ multa proposita suos habent auctores. Sed Canis habet in lingua stellam vnam, quæ ipsa Canis appellatur: in capite autem alteram, quam Isis suo nomine statuisse existimatur, & Sirion appellasse, propter flammæ candorem: quod eiusmodi sit, vt præter cæteras lucere videatur. Itaque quo magis eam cognoscerent, Sirion appellasse.

PROCYON. Hic ante maiorem Canem exoriri videtur, sed a nonnullis Orionis esse existimatur. hac etiam de causa Procyon est appellatus, sed iisdē omnibus historiis, quibus superior Canis annumeratur.

ARGO. Hanc nonnulli propter celeritatem Græce dixerunt Argo appellatam: alij, quod Argus eius fuerit inuentor. Hanc autem primam in mari fuisse complures dixerunt: & hac re maxime stellis esse figuratam. Hanc nauim factam Pindarus ait in Magnesia oppido, cui Demetrias est nomen. Callimachus autem in iisdem finibus ad Apollinis Actij templum, quod Argonautæ proficiscentes statuisse existimantur in eo loco qui Pagasæ vocatur, ideo quod nauis Argo ibi primū compacta dicitur, quod est Græce παγάσαι. Homerus hunc eundem locum in Thessaliæ finibus esse demonstrat. Æschylus autē, vt nonnulli aiūt, a Minerua quādā materiā loquentē eodē esse cōiunctā. Sed huius nō tota effigies inter astra videtur: diuisa enim est a puppi vsque ad malū: significans, ne homines fractis nauibus pertimescerēt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CENTAVRVS. Hic dicitur nomine Chiron, Saturni & Philyræ filius esse, qui non modo cæteros Centauros, sed homines quoque iustitia superasse, Æsculapium & Achillem nutrisse existimatur: pietate igitur & diligentia effecit, vt inter astra numeraretur. Apud hunc Hercules cum diuerteretur, & simul cum Chirone sedens sagittas consideraret, fertur vna earum decidisse supra pedem Chironis, & ita eum interfecisse. Alij autem dicunt Centaurum miratum, quod tam breuibus sagittis tam magna corpora Centaurorum interfecerit, ipsum contendere arcum conatum: itaque ex eius manu sagittam prolapsam, in pedem eius incidisse: pro qua re Iupiter eius misertus, inter sidera eum constituit cum hostia quam supra aram tenens immolare videtur. Hunc alij Pholon esse Centaurum dixerunt, eum qui aruspicio præter cæteros plurimum valuisset: itaque ad Aram cum hostia venire Iouis voluntate figuratum.

ARA. In hac primum dij existimantur sacra & coniurationem fecisse, cum Titanas oppugnare conarentur: eam autem Cyclopas fecisse. Ab ea consuetudine homines dicuntur instituisse sibi, vt cum aliquam rem efficere cogitarent, prius sacrificarent, quam agere incœpissent.

HYDRA, in qua Coruus insidere, & Crater positus existimatur, de qua hanc habemus memoriæ proditam causam: Coruus Apollinis tutela vsus eo sacrificante missus ad fontem aquam puram petitum, vidit arbores complures ficorum immaturas: eas exspectans dum matureſcerent,

rent, in arbore quadam earum consedit. Itaque post aliquot dies coctis ficis, & a Coruo compluribus earum comesis, exspectans Apollo Coruum, vidit eum cum Cratere pleno volare festinantem. Pro quo admisso eius dicitur, quod diu moratus sit, Apollinem, qui coactus mora Corui alia aqua est vsus, hac ignominia eum affecisse, vt quandiu fici coquerentur, Coruus bibere non possit, ideo quod guttur habeat pertusum illis diebus. Itaque cum veller significare sitim Corui, inter sidera constituit Cratera, & suppositum Hydram quæ Coruum sitientem moraretur: videtur enim rostro caudam eius extremam verberare, vt tanquam sinat se ad Crateram transire. Ister autem & complures dixerunt, Coronida Phlegyæ filiam fuisse: hanc autem ex Apolline Æsculapium procreasse, sed postea Ischyn Elati filium cum ea concubuisse. Quod cum videret Coruus, Apollini nunciasse: qui cum fuerit antea candidus, pro incommodo nuncio eum nigrum fecisse, & Ischyn sagittis confixisse. De Cratera autem hanc historiam Philarchus scribit: In Chersoneso quæ confinis est Troiæ, vbi Protesilai sepulchrum statutum complures dixerunt, vrbs Phlagusa nomine dicitur, in qua Demiphon quidam cum regnaret, incidit eorum finibus repentina vastitas & ciuium internecio miranda: quare Demiphonta permotum ferunt misisse ad Apollinis oraculum, quærens remedium vastitatis. Responso autem dato vt quotannis vna de nobilium genere

Universidad de Deusto
Biblioteca

virgo diis penatibus eorum immolaretur : Demiphon omnium filias præter suas sorte ductas interficiebat, vsque dum cuidam ciuiũ loco nobilissimo eorum nato perdoluit incœptum Demiphontis : qui negare cœpit de sua filia se passurum sortiri , nisi eodem regis filiæ essent coniectæ. Quo facto rex permotus , illius filiam sine sorte ductam interfecit: quod Matusius nomine, virginis pater, instanti tempore simulauit se patriæ causa non ægre ferre factum: potuisset enim postea sorte ducta nihilominus interire : quod paulatim dies regi in obliuionem perduxit. Itaque cum se prope amicissimum regi virginis pater ostendisset, solenne sacrificium se habere dixit, eumque & filias eius ad id conficiendum inuitauit: qui nihil aliter futurum suspicatus , filias ante misit, vt ipse occupatus in re ciuili postea veniret. Quod cum exoptanti Matusio accidisset, filias eius interfecit , & sanguinem earum cum vino in cratere mixtum aduenienti regi pro potione dari iussit. Qui cũ filias desideraret, & quid his factum esset resciisset , Matusium cum cratere in mare proiici iussit : quo facto mare quo ille est proiectus , memoriæ Matusium mare vocatum est: portus autem adhuc Crater appellatur: quem antiqui astrologi stellis deformauerunt, vt homines meminissent, Maleficium neminem temere lucrari posse : neque obliuionem inimicitiarum fieri solere. Nonnulli cum Eratosthene dicunt, eum Cratera esse quo Icarius sit vsus , cum hominibus ostenderet vinum. Alij autem dolium esse, quo Mars ab Etho & Ephialte sit coniectus.

PISCIS.

PISCIS, qui Notius appellatur. Hic videtur ore aquam excipere a signo Aquarij: qui laborantem quondam Isin seruasse existimatur: pro quo beneficio simulacrum piscis, & eius filiorum , de quibus ante diximus, inter astra constituit. Itaque Syri complures pisces non esitant , & eorum simulacra inaurata pro diis penatibus colunt. De hoc & Hegesias scribit.

RELIQVVM est nobis de quinque stellis, quas complures, vt erraticas, ita πλανήτας Græci dixerunt. Quarũ vna est Iouis nomine Phaethon, quem Heraclides Ponticus ait , quo tempore Prometheus homines finxerit, hic pulchritudine corporis reliquis præstantem fecisse , eũque supprimere cogitare, atque vt certum redderet Cupidinem, Ioui nunciasse. Quo facto missum Mercurium ad Phaethonta , persuasisse vt ad Iouem veniret , & immortalis fieret : itaque eum inter astra collocatum.

SECVNDA stella dicitur Solis , quam alij Saturni dixerunt. Hanc Eratosthenes a Solis filio Phaethonta appellatam dicit: de quo complures scripserunt, vt patris insciente curru vectus , incenderit terras : quo facto ab Ioue fulmine percussus, in Eridanum deiectus est, & a Sole inter sidera perlatus.

TERTIA est stella Martis , quam alij Herculis dixerunt, Veneris sequens stellam; hac (vt Eratosthenes ait) de causa: Quod Vulcanus cum vxorẽ Venerẽ duxisset, & propter eius obseruãtiã Marti eius copia non fieret, vt nihil aliud assequi videretur, nisi sua stella Veneris sidus persequi a

Venere impetrauit. Itaque cum vehementer eum amor incenderet, rem significans, e facto stellam Pyroenta appellauit.

QVARTA stella est Veneris, Lucifer nomine: quam nonnulli Iunonis esse dixerunt. Hunc eúdem Hesperum appellari multis traditum est historiis. Hic autem omnium siderum maximus esse videtur. Nonnulli autem hunc Auroræ & Cephali filium esse dixerunt, pulchritudine multis præstantem: ex quare etiam cum Venere dicitur certasse, vt etiam Eratosthenes dicit, eum hac de causa Veneris appellari: exoriente sole, & occidente videri: quare, vt ante diximus, iure hunc & Luciferum, & Hesperum nominatum.

QVINTA stella est Mercurij nomine Stilbon: sed hæc est breuis & clara. hæc autem Mercurio data existimatur, quod primus menses instituerit, & peruiderit siderum cursus. Euhemerus autem primam ait Venerem astra constituisse, & Mercurio demonstrasse.

PRÆTE-

PRÆTEREA ostenditur circulus quidam in sideribus candido colore, quē Lacteum esse nonnulli dixerūt. Eratosthenes enim dicit Mercurio infanti insciam puero Iunonem dedisse lac: sed postquam eum rescierit Maiæ filium esse, reiecisse eum a se, & ita lactis profusi splendorem inter sidera apparere. Alij dixerunt dormienti Iunoni Herculem suppositum, & experrectam, id quod supra diximus, fecisse. Alij autem Herculem propter nimiam auiditatem lactis multitudinem appetisse, neque in ore continere potuisse: quod ex ore eius profusum, circulum signasse. Alij dicunt quo tempore Ops Saturno lapidem pro partu attulit, iussisse ei lac præbere: quæ cum præstitisset mammam, profuso lacte circulum deformatum, quem supra demōstrauimus. Nos autem omnium corporum deformationem dicere instituemus.

IGITVR incipiemus a polo Boreo protinus dicere, quo vtræque Arcti nixæ vehuntur, Arctico circulo clausæ, & ita collocatæ, vt alternis vnaquæque earum resupinata caput alterius tegere videatur, ita tamen, vt caput eius quæ superior fuerit, ad caudam inferioris contendat. Harum maior in extremo circulo pedes habet fixos. Præterea habet in capite stellas VII, omnes obscuras, in vtrisque auribus binas, in humero claram vnam, in pede nouissimo duas, in summo interscapilio vnam, in crure de posterioribus primo, vnam: in pede priori duas, in cauda ipsa tres. Ita totius sideris stellæ sunt omnino XXI.

Minor autem habet in stationis vnoquoque loco stellas singulas clare lucentes, & supra caudam tres: omnino septem: sed in prioribus caudæ stellis vna est infima quæ Polus appellatur, vt Erat osthenes dicit, per quem locum ipse mũdus existimatur versari. Reliquæ autem duæ χορευτικὶ dicuntur, quod circum polum versentur.

DRACO.

DRACO inter duas Arctos collocatus, videtur corporis sinu facto Arctum minorẽ ita cõcludere, vt pene pedes eius tangere videatur: cauda autẽ flexa, caput maioris attingere: & suo capite tanquam reducto circulum Arcticum tangens, corpus vt in sphæram complicari: & si quis diligentius attenderit, videre poterit caput Draconis ad maioris Vrsæ regionem caudæ collocatum. Hic habet in vtroque tempore stellas singulas, in oculis singulas, in mento vnam, & toto corpore reliquo passim dispositas decem: ita vt omnino stellarum sit XV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARCTOPHYLAX. Huius manum sinistram circulus Arcticus includit ita, vt neque occidere neque exoriri videatur: ipse autem positus ab Arctico circulo ad Æstiuum definitur, inclinatus in longitudinem, dextro pede Æstiuo circulo nixus. Huius humeros & pectus a reliquo corpore diuidit circulus, qui per vtrosque polos transiens, tangit Arietem & Chelas. Hic quidem cum Tauro, & Geminis, & Cancro, & Leone occidit: ideo sero occidere dicitur, quod magis erectus a pedibus peruenit ad terrã: at exoriens citius quam Chelæ videtur. Habet autem in manu sinistra stellas quatuor, quæ nunquam occidere dicuntur: in capite stellam vnam: in vtroque humero singulas, in vtraque mamma singulas, sed clariorem dextram, & sub ea alteram obscuram, & in cubito dextro claram

ram vnam: in zona vnam clarius cæteris lucentẽ: hæc stella Arcturus appellatur. in vtrisque pedibus singulas, quæ omnino sunt XIIII.

CORONAM humero sinistro prope contingere Arctophylax videtur: quæ autem Engonasin dextri pedis calce coniungit,

hæc Cancro & Leone exoriente occidere, cum Scorpione exoriri perspicitur. Habet autem nouem stellas in rotundo dispositas: sed ex his tres clarius cæteris lucentes.

ARCTO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ENGONASIN. Hic positus inter duos circulos, Arcticum & Æstiuum, vtrisque pedibus & dextro genu, quem ante diximus, Arcticum circulū finit, ita tamen, vt dextero pede prioribus digitis circulum terminet, siniſtro autē toto caput Draconis opprimere conetur: Humeris autem velut sustinēs circulum Æstiuum, & manu dextra proiecta tangens: læuam autem e regione ad siniſtrū genu porrigens, æquali interuallo circuli Æstiui & genu siniſtri. His occidens capite prius quam reliquo corpore deuenit ad terram: qui cum totus occidit, vt pendere pedibus ex Arctico circulo videatur: exoriens ante pedibus quam reliquis membris. Habet autem in capite stellam vnam, in siniſtro brachio vnam, in vtroque humero singulas clare lucētes: in manu siniſtra vnam, in dextro cubito alterā: in vtroque latere singulas, sed clariorem in siniſtro: in dextero fœmore duas, in genu vnam, in poplite vnam, in crure duas, in pede vnam quæ dicitur clara, in siniſtra manu, quatuor, quas pellem Leonis esse nonnulli dixerunt.

LYRA. Hæc posita est cōtra regionē eius qui est inter genu & manū siniſtrā eius qui Engonasin vocatur, cuius ipsa testudo spectat ad Arcticum circulum summum autem cacumen ad polum Notium contendere videtur. Hæc Lyra Virgine exoriēte occidere, cum Sagittario exoriri perspicitur. Habet autem in ipsis testudinis lateribus singulas stellas: in summis cacuminibus eorum, quę in testudine vt brachia sunt collecta, singulas: in mediis iisdem, quos humeros Eratosthenes fingit, singulas: in scapulis ipsius testudinis, vnam in ima Lyra, quæ vt basis totius videtur, vnam.

OLOR. Huius vna ala est ad circunductionem huius circuli qui Arcticus vocatur, contingens extremum pedem sinistrum eius qui Engonasin vocatur: sinistram autem alam habet paululum extra circulum Æstiuum, pene coniungens pedibus Pegasi. Æstiuus autem circulus rostrum eius a reliquo corpore diuidit. Cauda iungitur extrema cum capite Cephei. Hic cum virgine & Chelis occidens, prius capite quam reliquis membris deuenit ad terram: exoritur autem cum Capricorno. Hic habet in capite stellã clare lucentem vnam: in collo alteram pari fulgore, in vtrisque pennis quinas. supra caudam, vnam. omnino habet stellas XIII.

CEPHEVS a tergo minoris Arcti constitutus, includitur Arctico circulo a pedibus ad pectus, vt præter humeros & caput eius nihil occidere videatur: neque longe abest a flexu Draconis, quem capite primum efficere videtur. Cepheus autem manibus vtrisque proiectis figuratus, tanto distidet interuallo a pedibus Arcti minoris, quantum spaciũ inter pedes Cephei videtur. Huius caput Scorpione exorto occidere, cum Sagittario exoriri perspicitur. Hic autem habet in capite stellas duas, in manu dextera vnam: item in cubito obscuram vnã, in sinistra manu & humero singulas. in dextero humero vnã: in zona quæ medium eius diuidit corpus, tres stellæ claræ videntur. in latere dextero obscura vna: in sinistro genu duæ. in vtrisque pedibus singulæ: supra pedes, stellæ quatuor. Hic totus omnino est stellarum XVIIII.

CASSIEPEIA sedés in siliquastro, collocata est, cuius sedilis & ipsius Cassiepeiæ pedes positi in ipsa circunductione circuli qui Arcticus vocatur: effigies autem corporis ad Æstiuum circulum peruenit, quam capite & dextera manu tangit. Hanc prope mediam diuidit circulus is qui Lacteus appellatur: proxime Cephei signum collocatum. Hæc occidens Scorpione exoriente, capite cum sedili resupina ferri perspicitur, exoriri autem cum Sagittario. Huius in capite stella ostenditur vna: in vtroque humero vna, in papilla dextera, clara vna: in lumbis magna vna, in sinistro femore duæ: in genu vna, in pede dextro vna, inquadrato qua sella deformatur, in angulis vtrisque singulæ clarius cæteris lucentes. Hæc igitur est omnino stellarum XIII.

ANDROMEDA proxime Cassiepeiã, supra caput Persei breui interuallo dissidente collocata perspicitur, manibus diuersis vincta, vt antiquis historiis est traditum. Cuius caput equi Pegasi ventri coniungitur: eadé enim stella & vmbilicus Pegasi & Andromedæ caput appellatur. Huius mediũ pectus & manũ sinistrã circulus Æstiuus diuidit. Occidit autẽ cum Pisce de duobus secundo, quem Andromedæ subiectum brachio supra diximus, exoriente Libra & Scorpione, capite prius quam reliquo corpore peruenies ad terram. Exoritur autem cum piscibus & Ariete. Hæc, vt supra diximus, habet in capite stellam clare lucentem vnam: in vtroque humero vnam: in cubito dextro vnam, in ipsa manu vnam: in sinistro cubito vnam, in brachio vnam, in manu alteram: in zona tres, supra zonã quatuor: in vtroque genu vnam, in pedibus autem binas. Ita omnino est stellarum XX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PERSEVS. Huius sinistrum crus & humerũ læuum circulus Æstiuus a reliquo corpore diuidit. Ipse manu dextra Arcticum circulum tangit: dextro pede caput Aurigę premere velut currens videtur. Idem occidens Sagittario & Capricorno exorto, inclinatus caput versus, cum Ariete & Tauro rectus exoritur. Habet autem in vtroque humero stellam vnam: in manu dextra clare lucẽtem vnam, qua falcem tenere dicitur, quo telo Gorgonem interfecit: in sinistra alteram, qua caput Gorgonis tenere existimatur. Habet præterea in ventre stellam vnam, in lumbis alteram: in dextro femore vnam, in genu vnam, in tibia vnã. in

in pede vnam obscuram, in sinistro femore vnã & in genu alteram: in tibia duas, in sinistra manu quod Gorgonis caput vocatur, stellas quatuor. Omnino est stellarum XVIIII. Caput eius & falx sine sideribus apparent. Hunc Aratus cum diceret inter sidera κεκονισμένον figuratum, acceperunt complures, eum puluerulentum dicere: quod minime conuenit, posse inter sidera etiam puluerulentum apparere: quod si esset, dignior erat Orion, cui idem ascriberetur. Primum, quod assidue est venatus, & semper in terra fuit: denique quod adhuc inter sidera venari videtur: Perseus autem qui assidue volaret, non potest puluerem habere. Quid igitur? Cum vellet Aratus eum currentem obscure significare, vsus Ætolorum consuetudine, eum κεκονισμένον dixit: Ætoli enim cum volunt aliquem decurrere significare, διοκονίσαι dicunt, id quod Aratus voluit demõstrare, non vt illum volantem assidue, puluerulentum dicat, quod a multis perperam est intellectum.

HENIOCHVS autem circulo Æstiuo genuũ fine, præterea ab humero sinistro vsque ad zonã diuiditur ab eo quem supra Lacteum orbem diximus. Huius dexter pes Tauri sinistro cornu stella coniungitur vna, manibus vt lora tenens figuratur. Cuius in humero sinistro Capra, in manu autem duo Hœdi duabus stellis formati dicuntur. Totus autem pedibus Persei subiectus, caput habens contra vrsæ maioris aspectum. Hic occidere Sagittarij & Capricorni exortu videtur: exoriri autem, Ophiucho & Engonasin occidentibus. Habet præterea in capite stellam vnã: in vtroque humero vnã, sed in sinistro clariorem, quæ Capra vocatur in vtroq; cubito vnã, in manu duas, quæ Hœdi appellãtur, stellis prope occidẽtibus factis.

OPHIVCHVS inclinatus a capite, vt qui resupinari videtur, manibus anguẽ tenere figuratus. Huius autem humeri Æstiuo circulo diuiduntur a reliquo corpore. Ipse genuum fine ab Æquinoctiali circulo terminatur, pede sinistro premens oculos, dextro autem testudini Scorpionis innixus. Anguis autem qui ab eo tenetur, prope extremo ore Coronam cõtingit, medium vt præcingens Ophiuchum, a cauda breuior quam superiori corpore, qua manus sinistra ipsius signi figuratur: ita tamen, vt extrema cauda circulum Æquinoctialem cum Aquilæ cauda iungat. Occidens exortu Geminorum, Cancri & Leonis, peruenit ad terram: exoriens autem cum Scorpione & Sagittario, apparet. Hic habet in capite stellam vnam, in vtroque humero singulas, in sinistra

manu tres, in dextra quatuor, in lumbis duas, in vtroque genu singulas, in dextro crure vnam, in vtroque pede singulas, sed clariorem in dextro. Itaque est omnino stellarum XVII. Anguis autem habet in summo capite duas, sub capite quatuor vno loco omnes. Ad manū ipsius Ophiuchi sinistrā, duas, sed quæ maxime ad corpus eius accedit, clarioré: & in dorso Anguis ad ipsā corporis coniunctionē quinque. & in prima curuatura caudę quatuor: in secūda, caput versus, stellas sex. Ita est omnino, trium & viginti stellarum.



SAGITTA inter duos circulos, Æstiuum & Æquinoctialem, super Aquilæ signum posita, diuiditur ab eo circulo qui vtrique polo subiectus ad Cancrum & Capricornum peruenit. Huius acumen ad Equi pedum regionem spectat: altera pars ad humeros Ophiuchi tendit. Hæc occidit Virginis ortu: oritur autem cum Scorpione. Habet omnino stellas quatuor, quarum vna in principio materiæ, altera in medio, duæ reliquæ in eo loco quo ferrū solet affigi diuersæ videntur.

AQVILA

AQVILA ala dextra non multum extra circulum Æquinoctialem prodire, sinistra autem non lōge a capite Ophiuchi figurata videtur. Præterea rostrum eius a reliquo corpore diuidit circulus quem supra diximus a Cancro ad Capricornum peruenire: media autem finitur ab eo quem supra Lacteum orbem demōstrauimus esse. Hæc occidit exorto Leone. Exoritur autem cum Capricorno, habens in capite stellam vnam, in vtraque penna vnam, in cauda vnam.

DELPHIN non longe ab Aquilæ ſigno figuratus, incuruatione caudæ nouiſſimæ tangit Æquinoctialis circuli circũductionem, capite prope contingens equi Pegaſi roſtrum. Hic exoritur cum ſagittarij poſteriore parte. Occidit autem cũ Virgo exorta eſt ad capitis finem. Habet autem in capite ſtellas duas, ſupra caput ad ceruicẽ verſus, duas: ad ea quæ in ventre velut pennæ videntur, habet ſtellas tres: in ſcapulis autem, vnam; in cauda, duas. Omnino eſt ſtellarum decem.

EQVVS

EQVVS Arcticum circulum ſpectans, pedibus Æſtiuo orbe niti, extremo ore caput Delphini tangere videtur, Aquarij manum dextram ceruice ſua coniũgens, & vtriſque Piſcibus clauſus, quos in duodecim ſignis poſtea demonſtrabimus. Huius in ſtellis corpus apparet vſque ad vmbilicum deformatum: qui occidit cum Piſce de duobus primo, qui ſupra tergum eius eſt fixus. Exoritur cum Aquario toto, & cum Piſce, cum quo & occidit manus Aquarij dextra. Hic habet in roſtro ſtellas duas obſcuras, in capite vnam, in maxilla vnam, in vtriſque auribus ſingulas, in ceruicibus quatuor obſcuras, ſed maxime lucet quæ capiti proxima apparet: in humero claram vnam, in pectore vnam, in interſcapilio vnam, in vmbi-

lico nouissimam vnam, quæ Andromedæ caput vocatur, in genibus vtrisque singulas, in vtrisque poplitibus singulas. ita est omnino stellarum XVII.

DELTOTON autem in triangulū deformatur, æquis lateribus duobus, vno breuiore, sed prope æquali reliquis, inter Æstiuū & Æquinoctialem circulum supra caput Arietis, non longe ab Andromedæ dextro crure, & Persei manu sinistra collocatum: cum Ariete toto occidens, exoriēs autem cum eiusdem dimidia priore parte. Habet stellam in vnoquoque angulo vnam.

NVNC

NVNC protinus XII. signorum figurationem dicemus, quorum est princeps Aries.

ARIES in Æquinoctiali circulo consistens, caput ad exortum habens conuersum, occidens a primis pedibus, & exoriens caput infra Triangulum, quod & supra diximus, tenens collocatum, pedibus prope caput contingens Pistricis. Habet autem in capite stellam vnam, in cornibus tres, in ceruice tres, in pede priore de primis vnam, in interscapilio quatuor, in cauda vnam, sub ventre tres, in lumbis vnam, in pede posteriore vnam. Omnino est stellarum XVIII.

TAVRVS ad ortum signorum dimidia parte collocatus, vt incipere genu ac defigere ad terrã videtur, caput eodem habens attentum. Genua eius a reliquo corpore diuidit circulus Æquinoctialis. Cornu sinistro, vt supra diximus, coniungitur cum sinistro pede eius qui Auriga appellatur. Inter huius finitionem corporis & Arietis caudã, stellæ sunt septẽ, quas Vergilias nostri, Greci autẽ πλειάδας appellauerunt. Hic auersus oritur & occidit. Habet autem in cornibus singulas stellas, sed in sinistro clariorem: vtrisque oculis singulas, in fronte media vnam: ex quibus locis cornua nascuntur, singulas, quæ septem stellę Hyades appellantur: etsi nonnulli quas duas diximus nouissime, stellas negauerunt esse, vt omnino Hyades essent quinque. Præterea in sinistro genu priore habet stellam vnam, & supra vngulam, vnam: in dextro genu vnam, & in interscapilio tres, nouissimam

simã earum cæteris clariorem: in pectore vnam. Quæ sunt omnino, præter Vergilias, XVIII.

GEMINI ab aurigæ dextra parte supra Oriona collocati videntur, ita tamen, vt Oriõ inter Taurũ & Geminos sit constitutus. Capita eorum diuiduntur a reliquo corpore, circulo eo qui æstiuum definire supra est dictus vt complexa corpora inter se tenentes. Occidunt directi a pedibus: exoriuntur autem inclinati vt iacẽtes. Sed de his qui Cancro est proximus, habet in capite stellã vnã clarã, in vtrisque humeris singulas claras, in dextro cubito vnã, in genibus vtrisq; singulas, in pedibus vtrisque singulas: alter autẽ in capite vnã, in vtrisque mammis singulas, in sinistro humero vnam, in pedibus vtrisque singulas, & infra sinistrum pedem vnam, quæ ἀφόρμος appellatur.

CANCER. Hunc medium diuidit circulus Æstiuus ad Leonem, & ad exortus spectantem, paululum supra caput Hydræ collocatum, Occidentem & Orientem posteriori corporis parte. Hic autem habet in ipsa testa stellas duas, quæ Asini vocantur, de quibus ante diximus: in dextris pedibus singulas obscuras, in sinistro primo pede duas, & in secundo duas obscuras, in tertio vnã, in quarto primo vnam obscurã, in ore vnã, in ea quæ Chela dexterior dicitur, tres similes, non grãdes, in sinistra similes duas. Omnino est stellarum XVII.

LEO

LEO Spectans ad occasum supra corpus Hydræ, a capite qua Cancer instat, vsque ad mediam partem eius constitutus, medius æstiuo circulo diuiditur, vt sub ipso orbe priores pedes habeat collocatos: occidens a capite & exoriens. Hic habet in capite stellas tres, in ceruicibus duas, in pectore vnam, in interscapilio tres, in media cauda vnam, in extrema alterã, sub pectore duas, in pede priore vnam claram, in vẽtre claram vnam, & infra alteram magnam: in lumbis vnam, in posteriori genu vnam, in pede posteriori vnam claram. Ita omnino est stellarum XVIIII.

VIRGO infra pedes Bootis collocata, capite posteriorem partem Leonis, dextra manu circulum Æquinoctialē tangit: ac inferiorem partem corporis supra Corvum & Hydræ caudam habere perspicitur, occidens capite prius quam cæteris membris. Huius in capite est stella vna obscura, in vtrisque humeris singulæ, in vtrisque pennis binæ, quarum vna stella quæ est in dextra penna ad humerum defixa, προτρυγητὴρ vocatur. Præterea habet in vtrisque manibus singulas stellas, quarum vna quę est in dextra manu, maior & clarior; ea cum spicis esse dicitur. In veste autē habet passim dispositas stellas septem, & in vtrisque pedibus singulas. Ita est omnino stellarum XVIII.

SCOR-

SCORPIVS. Huius prior pars quæ Chelę dicūtur, ita premuntur ab Æquinoctiali circulo, vt eum sustinere videantur. Ipse autem pedibus Ophiuchi, de quo supra diximus, subditus, extrema cauda circulum Hiemalem contingere videtur: neque longe est ab eo signo, quod pro hostia Cētaurus ferre perspicitur. Occidit autem inclinato corpore, exoritur autē erectus a Chelis. Hic habet stellas in his quæ Chelæ dicuntur, in vnaquaque earum binas, ex quibus primæ sunt clariores: prętera habet in fronte stellas tres, quarum media est clarissima, in interscapilio tres, in ventre duas, in cauda quinque, in acumine ipso quo percutere existimatur, duas. Ita est omnino stellarum XVIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SAGITTARIVS autem ſpectans ad occaſum Centauri corpore figuratur, velut mittere incipiens ſagittas, a pedibus vſque ad humeros in Hiemali circulo collocatus, ita vt caput ſolum eius extra eum circulum quem ſupra diximus, apparere videatur: cuius arcus Lacteo circulo medius diuiditur. Ante pedes huius eſt quædam corona ſtellis effecta, de qua prius diximus. Hic præceps occidit, exoritur directus. Habet autem in capite ſtellas duas, in arcu duas, in ſagitta vnam, in dextro cubito vnam, in manu priori vnam, in ventre vnam, in interſcapilio duas, in cauda vnam, in priori genu vnam in pede vnam, in inferiori genu vnam, in poplite vnam. Omnino eſt ſtellarum XV. Corona autem Centauri eſt ſtellarum VII.

CAPRI-

CAPRICORNVS ad occaſum ſpectans, & totus in Zodiaco circulo deformatus, cauda & toto corpore medius diuiditur ab Hiemali circulo: ſuppoſitus Aquarij manui ſiniſtræ: occidit præceps, exoritur autem directus. Sed habet in naſo ſtellam vnam, infra ceruices vnam, in pectore duas, in priore pede vnam, in priore eodem alteram, in interſcapilio ſeptem, in ventre quinque, in cauda duas. Omnino eſt ſtellarum viginti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AQVARIVS pedes habet in Hiemali circulo defixos, manum autem sinistram vsque ad Capricorni porrigens tergus, dextra iubam Pegasi prope contingens, spectat ad exortus. Qui cum ita sit figuratus, necesse est corpore eũ prope resupinato videri. Effusio aquæ, peruenit ad eum Pisce qui solitarius figuratur, de quo posterius dicemus. Sed Aquarius & occidit & exoritur capite prius quam reliquis membris. Hic habet in capite stellas duas obscuras, in vtrisque humeris singulas magnas, in sinistro cubito vnam grandem, in manu priori vnam, in vtrisque mammis singulas obscuras, in lumbo interiori vnam, in vtrisque genibus singulas, in dextro crure vnam, in vtrisque pedibus singulas. Omnino est stellarum quatuordecim. Effusio aquæ cum aquario ipso est stellarum triginta. Sed in his omnibus prima & nouissima clara.

PISCES

PISCES. Horum, alter Notius, alter Boreus appellatur: ideo quod vnus eorum qui Boreus dicitur, inter Æquinoctialem & Æstiuum circulum sub Andromedæ brachio collocatus, & Arcticum polum spectans constituitur: alter autem est in Zodiaco circulo extremo sub scapulis Equi non longe ab æquinoctiali circulo collocatus, spectans ad occasum. Hi Pisces quibusdam stellis vt lineola ab Arietis pede primo coniunguntur: quorum inferior ante occidere & exoriri videtur. Habet autem stellas XVII. Et Boreus omnino XII. Coniunctio eorum habet ad Aquilonem spectans stellas tres, ad alteram partem tres, ad exortum tres, in commissura tres. omnino duodecim. Horum coniunctionem, quæ a pede Arietis primo notatur, Aratus Græce σύνδεσμον ὑπουράνιον, Cicero Nodum cælestem dicit: qui vtrique volunt significare, eum nodum non solum piscium, sed etiam totius sphæræ esse: quo enim

loco circulus ab Arietis pede μεσημβρινὸς dicitur, qui meridiem significet: & quo loco is circulus Mesembrinos coniungitur, & transit æquinoctialem circulum, in ipsa coniunctione circulorum nodus Piscium significatur: quare eum nó modo Piscium, sed etiam cælestium nodum appellauerunt.

PISTRIX a media cauda diuiditur ab Hiemali circulo. spectans ad exortus, rostro prope posteriorem Arietis pedem iungens: huius priorem partem corporis quæ spectat ad exortum, prope alluere flumen Eridanus videtur. Hæc occidit exorto Cancro & Leone: exoritur autem cum Tauro & Geminis. Sed habet in extrema cauda stellas duas obscuras, ab eo loco vsque ad reliqui corporis curuaturam, quinque; sub ventre sex. omnino sunt tredecim.

ERIDANVS a sinistro pede profectus Orionis, & perueniens vsque ad Pistricem, rursum diffunditur ad Leporis pedes. & protinus ad Arcticum circulum tendit. Huius figurationem Hiemalis circulus diuidit ab eo loco quo prope coniungitur Ceto. Hic Scorpione & Sagittario exorto occidere: exoriri autem cum Geminis & Cancro videtur. Habet stellas in prima curuatura tres, in secunda tres, item in tertia vsque ad nouissimam, septem. omnino stellarum est tredecim.

LEPVS autem infra sinistrum pedem Orionis per Hiemalem circulum fugiens, & ab eo

inferiori parte corporis diuisus. occidit Sagittario exorto, oritur cum Leone. Habet autem stellas in vtrisque auribus singulas, in corpore passim dispositas duas: in pedibus prioribus singulas. ita sunt omnino sex.

ORION. Hunc a zona & reliquo corpore Æquinoctialis circulus diuidit, cum Tauro decertantem collocatum, dextra manu clauā tenentem, & incinctū ense spectanté ad occasū, & occidentem exortu Scorpionis posteriori parte, & Sagittario exoriente, cum Cancro autem toto corpore pariter exsurgentem. Hic habet in capite stellas tres claras, in vtrisque humeris singulas, in dextro cubito obscuram vnam, in manu similem vnam, in zona tres, in eo quo gladius eius deformatur, tres obscuras, in vtrisque genibus singulas claras, in pedibus singulas. Omnino XVII.

CANIS

CANIS Leporem fugientem persequens, posterioribus pedibus diuiditur ab Hiemali circulo, pedem dextrum Orionis pene suo capite cōtingens, capite ad occasum spectans, sed caput ad Æquinoctialem circulum tendit: Occidens oriente Sagittario, exoriens autem cum Cancro. Hic Canis habet in lingua stellam vnam, quæ Canis appellatur: in capite autem alterā, quam nonnulli Sirion appellant, de quo prius diximus. præterea habet in vtrisque auribus singulas stellas obscuras, in pectore duas, in pede priore tres, in interscapilio tres: in sinistro lumbo vnam, in pede posteriori vnam, in pede dextro vnam, in cauda quatuor. Omnino, viginti.

ΠΡΟΚΥΩΝ. Hic in Lacteo circulo defixus, pedibus Æquinoctialem circulum tangit. Spectat ad occasum, vt inter Geminos & Cancrum constitutus: qui quod ante maiorem Canem exoritur, προκύων est appellatus. Hic autem occidit exorto Capricorno, exoritur cum Leone. Sed omnino est stellarum trium.

ARGO. Huius puppis Hiemalem circulum & maioris Canis caudam contingens inferiore parte, nouissime nauis inclinata, Antarcticum circulum tangit. Occidens Sagittario & Capricorno exorto vt in mari collocata, exoriens autem cum Virgine & Chelis. Hæc habet in puppi ad singula gubernacula, ad primum stellas quinque, ad alterum quatuor, circum carinam quinque. & sub reiectu quinque, ad malum IIII. Ita tota est stellarum vigintitrium. Quæ quare non sit tota in mundo collocata, prius diximus.

CENTAVRVS. Hic ita figuratur, vt in Antarctico circulo niti pedibus, humeris Hiemalem sustinere videatur: capite prope caudam Hydræ contingens, hostiam dextra manu tenens supinā, quæ pedibus & extremo ore circulum Hiemalē tangit, inter eum & Antarcticum orbem collocata. Centauri autem crura a reliquo corpore diuidit circulus qui Lacteus vocatur. Hic spectans ad ortus signorum, totus occidit Aquario & Piscibus exortis. oritur autem cum Scorpione & Sagittario. Habet autem stellas supra caput tres obscuras, in vtrisque humeris singulas claras, in cubito sinistro vnam, in manu vnam, in medio pectore equino vnam, in prioribus poplitibus vtrisque singulas, in interscapilio quatuor, in ventre duas claras, in cauda tres, in lumbo equino vnā, in genibus posterioribus singulas, in poplitibus singulas. Omnino sunt XXIII. Hostia autem habet in

bet in cauda stellas duas, in pede de posterioribus primo vnam, & inter vtrolque pedes vnam, in interscapilio vnam claram, & in priore parte pedū vnam, infra alteram: in capite tres dispositas. omnino sunt numero decem.

ARA propter Antarcticum circulum tāgens inter Hostiæ caput & Scorpionis caudam extremam collocatur. Occidens Arietis exortu, exoriens cum Capricorno. Hæc habet in summo cacumine circuli vbi formatur, stellas duas, & in imo altaris duas. Et ita est omnino stellarum quatuor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HYDRA trium signorum longitudinem occupans, Cancri, Leonis & Virginis, inter æquinoctialem & Hiemalem circulum collocatur, ita tamen, vt caput eius contendens ad signum id quod ἀρχὼν vocatur, & totius Hydræ prope quarta pars inter Æstiuum & Æquinoctialem circulum videatur. Cauda autem extrema pene Centauri caput tegens, sustinet in dorso Coruum, rostro corpus eius tundentem, & toto corpore ad Cratera tendentem: qui satis longo dissidente

sidente interuallo, prope inter Leonem & Virginem constitutus videtur, inclinatior ad caput Hydræ, quæ occidit Aquario & Piscibus exortis: oritur autem cum his signis de quibus supra diximus. Habet autem in capite stellas tres, in prima a capite curuatura, sex, sed earum nouissimam claram: in secunda curuatura tres, in tertia quatuor, in quarta duas, in quinta vsque ad caudam nouem, omnes obscuras, ita fiunt numero viginti septem. Coruus autem habet in gutture stellam vnam, in pennis duas, infra pennam caudam versus duas, in vtrisque pedibus singulas: omnino septem. Supra primam a capite curuaturam Crater positus, habet in labris stellas duas, infra autem ansas duas obscuras, in medio Cratere duas, ad fundum duas. Omnino sunt octo.

PISCIS autem qui Notius dicitur, inter Hiemalem & antarcticum circulum media regione collocatus, spectare ad exortum videtur, inter Aquarium & Capricornum, ore excipiens aquam quæ funditur Aquario. Hic occidit oriente Cancro, exoritur autem cum Piscibus. Sed est stellarum omnino duodecim.

Quæ ad figurationem siderum pertinent, ad hunc finem nobis erunt dicta, reliqua protinus dicemus.

QVONIAM in initio sphæræ circuli quinque quomodo efficerentur ostendimus, neque eos corpore siderum notauimus: & si duo nouissimi nihil ad Solis cursum pertinent, hoc est Arcticos & Antarcticos, de mediis tribus dicemus. Sed quoniam Aratus quatuor circulis sphæram plurimum valere dicit, neque eorum aperte quenquam demonstrat, voluntatem nostram apertius ostendemus. Et quemadmodum in initio fecimus, a Boreo polo dicemus.

IGITVR Æstiuum circulum vnum de quatuor esse dicemus, qui θερινὸς τροπικὸς vocatur, quo circulo æstatem confici demonstrauimus: & si non nemo dubitat, quare non vtrique circuli, hoc est Æstiuus & Hiemalis vno nomine appellẽtur: ideo quod quem nos Æstiuum diximus, nõnullis Hiemalis fiat: & quo circulo hiemem effici diximus, eo circulo aliis æstas sit. Qui si voluerint intelligere id ad nostram collocationem mundi esse demonstratum, qui inter Æstiuum circulum & Arcticum sumus constituti, non ad illorum sphæram, qui ab Hiemali circulo Antarcticum habitantes, nobis Antipodes dicuntur, facilius ad nostram accesserint voluntatem. Si quis enim voluerit eorum quos Antipodas diximus, quod inferiore a nobis circulo constituti videntur, sphæram facere, non immerito nostrum Hiemalem sibi Æstiuum ciruclum finxerit: aut si quis scriptor eorum mentionem faciens, obscure voluerit Antipodas demonstrare, & dixerit quibus in Capricorno æstas summa, aut in Cancro hiems maxima fiat, non imperita ratione acutissime di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

xisse videbitur. quodcunque enim nostris circulis contrarium dixerit, id illis erit rectum. sed ne longiore sermone præter consuetudinem vtamur, ad inceptum reuertamur.

IN ÆSTIVO circulo, de quo primum dicere instituimus, hæc signa siue partes eorum perspiciuntur: Capita Geminorum, Aurigæ genu vtrũque, Persei crus, & humerus sinister. Andromeda autem a pectore, sed manu sinistra, diuiditur. Atque ita euenit, vt caput eius cum toto pectore & manu dextra, videatur esse inter Æstiuum & Æquinoctialẽ circulum: reliquũ autẽ corpus inter Æstiuũ & Arcticũ sinẽ. Præterea in eodẽ Æstiuo circulo pedes equi Pegasi positi vidẽtur, & caput a reliquo corpore diuiditur Oloris, & alæ sinisterioris vt volãtis, pars, nõ magna. Ophiuchus humeris, vt circulum sustinere videtur. Virgo prope contingens a capite, inter hunc & Æquinoctialem circulum collocata est, vt fulgens ad Austrum. Leo a pectore ad lumbos diuiditur, vt caput eius & corporis superiora cruribus pars, inter hunc & Arcticum circulum videatur: inferior autem pars, inter Æstiuum & Æquinoctialem circulum. Cancer autem sic diuiditur medius, vt inter duos oculos eius circulus traiectus existimetur. In his signis, & hoc, vt ante diximus, circulo cum vehitur Sol, euenit vt nobis qui hac inclinatione mundi vtimur, sint diei de partibus octo partes quinque, noctis autem tres. Neque ita tamen vt ex horologiis, sed ex sphæræ ratione. Cum enim sphæram ita constitueris, vt circulus is qui Arcticus vocatur, semper appareat,

pareat, nunquam autem Antarcticus exoriatur, atque ita sphæra est constituta: si voles Æstiuum circulum diuidere in partes octo, ex his inuenies partes quinque in sphæra apparere, tres autem infra tanquam sub terra esse.

8 AT ALIQVIS dixerit, cur sphæræ circulos diuidamus in partes octo, potius quam duodecim, aut quot libuerit alias partes? Hic non sphæram, sed se fallere hac ratione inuenietur fere. Si enim ita fecerit ex æstiuo circulo partes duodecim, ex his partes septem, & dimidium partis apparere: quatuor autem & dimidium sub terra inueniet esse. Itaque euenit, vt cum ad septem partes addita dimidia sit, simili ratione ad partes quatuor accedat pars dimidia, & fiant supra terram partes septem, & dimidium partis: reliquum autem sub terra quod est partes quatuor & dimidium. Igitur opportet intelligere; vt non in minutis partibus & dimidiis fiat, sed certis numeris conficiatur, vt euenit in partibus octo. Præterea quoniam sphæra diuisa in partes triginta, euenit, vt ab æstiuo ad Hiemalem sint partes octo: nimirum certe eos circulos diuidemus in partes octo. Præterea quoniam ab æstiuo circulo ad Æquinoctialem sunt partes quatuor de XXX. & rursus ab Æquinoctiali circulo ad Hiemalem de partibus triginta partes quatuor, & ita nihilominus Æquinoctialis ipse per se circulus medius diuiditur, vt dimidia pars eius sit sub terra, de partibus octo partes quatuor, & totidem supra, & tota ratio ad octauam partem perueniat: non dubium est, quin recte diuidatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

in partes octo. Præterea cum Sol per hos circulos currens iter annuum conficere videatur, & ab omnium signorum octaua parte, vt posterius dicemus, incipiat exoriri, vt ad aliud signum transeat, neque vlla alia parte signi vtatur, recte ipsi quinque circuli diuiduntur in partes octo. Præterea cum septem sidera ad eúdem statum reuertantur, vt quibusdam placuit, vt cuiusmodi dies hodiernus fuerit in Solis aut Lunæ tempestate, eiusdem modi octauo anno sit futurus, vere sphęra quoque diuidetur in partes octo. Præterea cũ videamus octauo quoque die eiusdem sideris horam primam, aut quamlibet denique esse, vt cuius hodie fuerit hora prima, eiusdem octauam quoque futuram: verissimum est ipsam quoque sphæram mundi, vnde horæ sumuntur, diuidi in partes octo. Sed ne reliqua prætermittamus in hoc occupati, ad propositum reuertamur.

9 SECVNDVS ab Æstiuo Æquinoctialis est circulus, in quo hæc signa & partes eorum perspici possunt: Aries totus omnibus pedibus innixus videtur.

10 Hunc autem Aratus omnium siderum celerrimum esse demonstrat, etiam minori Arcto, quæ breui spacio vertitur: præstare id quod velit esse sic poterimus vel facillime intelligere. Cum sit enim maximus circulus æquinoctialis in sphęra, in eoque Aries vt affixus videatur, quomodocunque fuerint figuræ corporum collocatæ, vt ad eundem locum perueniant, necesse est semel verti sphæram. Quod cum fiat, & Aries in maximo circulo, & eodem tempore ad locum quo reliqua

liqua sidera perueniant, necesse est eum celerrimum dici. Sed nos ad circuli effectionem veniemus, & reliqua dicemus. In eodem Tauri genua vt fixa perspiciuntur, etsi nonnulli ita finxere, vt vno genu, hoc est dextro nixus, sinistro prope cõtingere videatur: de hoc in medio relinquemus. Sed in eodem circulo zona Orionis, vt ipso circulo præcinctus existimetur. Hydra flexu a capite primo vt ceruicibus erectis Cancrum contingere videatur: & ex inferiore corpore Hydrę Crater cum Coruo velut fixus esse circulo conspicitur. Item paucæ stellæ Chelarum, eodem adiunguntur. Ophiuchi genua eodem circulo a reliquo corpore diuiduntur. Aquila sinisteriore penna pene contingens figurata est. Eodemque circulo caput Pegasi cum ceruicibus nititur. His corporibus signorum æquinoctialis circulus finitur. Quo Sol cum peruenit, bis vno anno conficit æquinoctium, hoc est in Ariete & Chelis: in hac enim parte sphæræ & ver & autumnus confici existimatur: ita vt ver sit in Ariete, autumnus in priore parte Scorpionis, quod signum nonnulli Libram dixerunt. Per hunc circulum transiens Sol ab Ariete ad Chelas, efficit sex mensium diẽ his locis qui intra Arcticum videntur orbem: noctem autem his qui Antarctico circulo sunt clausi: quare magis his locis nemo potest durare. Et rursus ab Autumno vsque ad ver, hoc est a Chelis vsque ad Arietem perueniens, efficit his locis sex mensibus perpetuis diem, in quibus ante noctem demonstrauimus: e contrario autem noctem his qui Boreo polo sunt proximi: sed de hoc ante di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ximus : neque enim mirum est hac collatione sphæræ id euenire. Erecto enim Boreo polo neque vnquam occidente euenit, vt corpora quoque quæ ei proxima sunt circulo, sero occidere videantur. Id ex hoc intelligere licebit: Cum in his partibus sphæræ habitetur, quæ pars est ab Æstiuo circulo, ad orbem qui Arcticos vocatur, & de Arctico circulo, hoc est de duabus Vrsis & Dracone, caput Draconis maxime niti ipso circulo videatur, ita vt is qui Engonasin vocatur, inter Æstiuum & Arcticum locatus, caput Draconis premere intelligatur: quicunque, vt ante diximus, ad ipsum caput Draconis habitant, ita longo die vtuntur, vt ne tertia quidem horæ pars in vnaquaque nocte his obtingat. Itaque Aratus ait:

Κείνη που κεφαλὴ τῇ νήχεται ἠχί περ ἀκραὶ
Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσι.

Item Cicero dicit:

Quod caput hic paulum sese subitoque recondit,
Ortus vbi atque obitus, parte admiscentur in vna.

De hoc Homerus quoque in Odyssea ita breuem noctem esse dicit, vt pastores cum alij exigant, alij reducant pecus, possit alius alium audire, cum vnus propter noctem pecus reducat, alter propter lucem exigat: sed nos ad propositũ reuertamur.

II TERTIVS ab Æstiuo circulo Hiemalis vocatur, his corporibus & eorum partibus finitur: nã medium Capricornum diuidens & pedes Aquarij. per caudam Pistricis vt traiectus videtur. Diuidit etiam Leporem fugientem a cruribus, & quadam parte corporis, & Canis sequẽtis pedes & Nauis ipsius puppim, Centaurique ceruices a reliquo corpore diuidit. Scorpionis extrema cauda, quod acumen vocatur, eodem circulo coniũgitur. Sagittarij arcus eodem orbe deformatur. Huius orbis infra terram sunt de partibus octo partes quinque, supra terram autem tres. Itaque fit breuior dies nocte, vt ante demonstrauimus.

12 QVARTVM circulum Zodiacum esse Aratus demonstrat, de quo ante diximus, & posterius dicemus. Sed Aratus non, vt reliqui astrologi, ab Ariete duodecim signa demonstrat, hoc est vere incipiente: sed a Cancro, hoc est ipsa æstate. Nos autem (quoniam ab Ariete incipimus) ita protinus dicemus. In hoc enim circulo sic duodecim signa figurantur: Aries, Taurus, Gemini: in his tribus signis ver demonstratur, & æquinoctium vernum. Cancer, Leo, Virgo: in his signis maxime æstas conficitur: sed sol incipit a Virgine iam transire ad æquinoctium autumnale. Chælæ, Scorpius, Sagittarius: in his tribus signis autumnus efficitur & æquinoctium autũnale. Capricornus, Aquarius, Pisces: in his tribus signis sol hiemem conficere demonstratur. Et si nulla sunt signa XII. sed XI. ideo quod Scorpio magnitudine sui corporis duorum locum occupat signorum, e quibus prior pars Chelæ, reliqua autem Scorpio vocatur. Priores enim astronomici, cum omnes res ad duodecim partes reuocarent, vt menses, & horas, & latitudinem signorum: itaque & signa, per quæ res omnes significantur, duodecim voluerunt esse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SED quoniam septem circulis in proœmio propositis, de quatuor circulis mentionem fecimus, ne septē ex ordine demōstratis, aliquid a nobis obscurius dictū videatur, de septē superāt tres, Arcticus, Antarcticus, & ille qui Lacteus vocatur. Itaque de his dicere incipiemus. Arcticon igitur orbem sustinet caput Draconis cum reliqua corporis parte. Cepheus autem pectore suo circulū iungit. eodem orbe nitūtur & pedes maioris Vrsæ, præterea sedile Cassiepeiæ cum pedibus eius nititur ipsi circulo sinistro pede, genuque dextro: & pedis prioribus digitis eius qui Engonasin vocatur: & manus sinistra Bootis exteriori parte circuli peruenit coniuncta. Ad Antarcticon autem circulum peruenit extrema nauis Argo, pedesq; Centauri posteriores adiunguntur: priores autem prope contingere, & Ara videtur prope affixa, Eridanique fluminis extrema significatio.

RELIQVVM est nobis definire quem supra Lacteum orbem demonstrauimus. Ipse enim diuidit Oloris extremam sinistram pennam, quæ extra Æstiuum peruenit finem. Præterea transit manum dextram Persei, & ab humero sinistro Aurigæ perueniens sub manum eius dextram, & Geminorum genua, & pedes eius signi quod ποδῶν vocatur. Hic diuidens Æquinoctialem & Æstiuum circulum, tangit extremum finem mali qui in Argo naue defixus videtur: deinde rursus reuertens, genua Cētauri diuidit a reliquo corpore, & extremam caudam terminat Scorpionis, & arcum medium Sagittarij, & Aquilæ dimidiam partem, per eius transiens pennas.

QVO-

QVONIAM de huiusce rebus exposuimus ordine, mundi rationem & quemadmodum moueatur, protinus dicemus: & in duodecim signorum exortu ea quæ deinde corpora consequantur, & quæ perueniant ad occasum. Conuenit nobis mundum ab exortu ad occasum verti, ideo quod videmus stellas exorientes ad occidentem conuerti. Sic enim primum poterimus scire, qui sint exortus, & qui occasus. Si enim nostrum aliquis astiterit contra exorientem, necesse est Arctos nobis a sinistris partibus esse. Cum id ita fiat, illud quoque necesse est, vt omnia a dextris partibus exorta, in sinistris occidere videantur, de quo & ante diximus. Igitur cum videamus stellas exoriri & occidere, necesse est mundum quoque cum stellis verti. Sed nonnulli aiunt nihilominus id euenire posse, vt si stante mundo, stellæ exoriātur & occidant, quod fieri non potest. Si enim stellæ vagæ feruntur, neque mundus ipse vertitur, non possunt corpora stellis figurata incolumia & certa permanere. Illud enim videmus, in toto mundo stellas erraticas esse quinque, neque horum cursum quenquam posse definire: Aratū ipsum negare, se difficiles eorum cursus interpretari posse. Quomodo igitur cum quinque stellas nemo possit obseruare, tot milia quisquam possit peruidere, nisi qui permittat, hic cursus stellarum posse esse, & nihilominus figuras corporum permanere: quod si non est, tota sphæra ad irritum reuocabitur. Quicunque enim sphæram fecerit, non poterit efficere, vt sphæra stante nihilominus stellæ versentur. Illud etiam videmus in ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trema cauda Draconis, ſtellam eſſe quæ in ſe vertatur, & in eodem loco conſtet. Quod ſi omnes ſtellæ vagę feruntur, hanc quoque loco moueri neceſſe eſt, quod non euenit. Igitur neceſſe eſt mundum quoque non ſtellas verti.

Quoniam oſtendimus mundum cum ſtellis potius quam ſtellas per ſe verti, nunc reliqua dicemus. Cum enim traditum ſit nobis, prius noctem quam diem fieri, noctem dicemus vmbram terræ eſſe, eamque obſtare lumini ſolis. Et ſi nonnulli dixerunt in ſolis curſu euenire, vt cũ peruenerit ad eum locum, vbi occidere dicatur, ibi mõtium magnitudine a nobis lumen auerti ſolis, & ita noctẽ videri: quod ſi ita ſit, nimirũ eclipſin ſolis verius quã noctẽ dixerimus. Sed aliter eſſe ex ipſa ſphæra intelligere licebit. Horizon enim diuidens ea quæ videtur, & quæ nõ appareẽt, ita definit ſphærã, vt ſemper ſex ſigna de duodecim in hemiſphærio videãtur ſupra terrã, ſex autẽ ſigna ſint infra ſub terra. Igitur cũ in vno eorũ Sol nixus ferri videatur, ab eo circulo qui Horizõ vocatur, exoritur, itaq; incipit lucere, cũque nihilominus ipſe mundus vertatur cũ reliquis ſignis. Sed quo facilius intelligatur, ponamus ſolẽ eſſe in Ariete, a quo duodecim ſigna inſtituimus numerare. Igitur cũ ſol ſit in Ariete exoriẽte, dies eſt: qui cũ vertẽte ſe mũdo peruenit ad eũ circulũ qui Meſembrinus vocatur, efficit diei partẽ dimidiã. Sed ſic etiã facilius intelligitur, & rurſus ab eodẽ Ariete incipiemus. Cũ Aries eſt exortus, præter eũ hæc ſigna ſunt in ſuperiore hemiſphærio: Piſces, Aquarius, Capricornus, Sagittarius, Scorpio. Horũ cum

cũ tria ſigna occiderint, hoc eſt, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, exorta ſunt tria ſigna, quę Arietẽ ſequũtur, hoc eſt, Taurus, Gemini, Cancer. Tũ fieri dimidiũ diẽ neceſſe eſt, & Arietem peruenire ad eũ quẽ meſembrinũ eſſe circulũ ſupradiximus. Cũ autẽ cũ reliquis ſignis ipſe Aries occidit, & exortus eſt Leo, Virgo: tũ Chelæ exoriũtur, & in ſuperiore hemiſphærio vehũtur. Quæ cũ occiderint, rurſus Aries exortus efficiet lucẽ. Sed ne in dubiũ veniat, cũ Ariete occidẽte dixerimus Chelas exoriri, quid de reliquis ſignis ſine ſphęra poſſit intelligi, ſic inuenietur: In quocũque ſigno Sol fuerit exoriẽs, quodcunque ab eo ſigno ſeptimo loco fuerit, id noctu primũ exorietur, & ita conficiet curſum: mundus enim ipſe ſemel in die ac nocte verti videtur. Itaque euenit, vt ipſa ſigna duodecim ſemel in die ac nocte videri poſſint. Sed ne Solis curſus, de quibus poſtea ſumus dicturi, potius quã quod ante cœpimus enumeremus, ad inceptum reuertemur. Diximus enim principium mundi eſſe noctem, deinde diem. Inter noctem & diẽ, prẽter vmbrã terræ nihil intereſſe arbitramur. Sed quoniã ſignorũ ſupra & corporum exortus inſtituimus, ad hoc peruenimus.

14.15 IGITVR vertente ſe mundo per vtroſque Polos & per Axem, quem ſupra Dimenſionem ſphæræ diximus eſſe, & ita ſphæra collocata, vt vnus Polus ſemper ſit ſupra terram, alter nunquã exoriatur, neceſſe eſt Arctos quoque & reliqua corpora quæ ſunt in Arctico circulo, nunquam occidere, reliqua autem omnia exoriri & occidere, quod inferiora ſunt ab eo circulo quẽ nun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam occidere diximus. Id enim posse fieri hæc edocet causa. Videmus caput extremum Draconis, quod maxime Arcticon extra circulum prominet, quodam tempore ita occidere existimatur, vt exortus cum occasu permisceatur, vt & ante diximus. Si autem pars aliqua occiderede summo circulo videtur, necesse est omnia quæ sunt inferiora, exoriri & occidere. Igitur cõuenit nobis sidera, vertente mundo occidere & exoriri. Præterea hac inclinatione cæli, cum vnus circulus ita sit erectus vt nunquam occidat, alter ita sit terræ subiectus, vt nũquam exoriatur, quicũque circuli fuerint in sphæra, hoc est ab Æquinoctiali ad polum qui Boreus appellatur, nullus erit eorũ qui non maiorem partem circunductionis habeat supra terram: qui autẽ ab Æquinoctiali fuerint circulo ad eum polum qui Notius appellatur, omnes inferiorem partem maiorẽ habebunt quam superiorem: & quãto magis ad Polum Notium accesserint, hoc maiorem partem sub terra habere perspicientur: & quanto magis ad Boreũ finem venerint, hoc maiorem partem circuli supra terram tenere videbuntur: quo enim erectior ipse Polus fuerit, hoc magis & circuli eius erectiores videbuntur. Quod cum ita sit, si duo sidera simul fuerint orta, vnum ab Arctico, alterũ ab Antarctico circulo, serius occidet id sidus quod ab Arctico circulo fuerit exortum: ideo quod maiorem habet circunductionem sphæræ, quã quod a Notio polo est ortum. Si autem simul occiderint, serius exorietur id signum, quod ab Antarctico fuerit exortum, ideo quod tota illa collocatio

catio mundi maiorem partem habeat sub terra, quam illa pars quæ in Boreo polo est finita. Et nõ modo signa quæ sunt ad Arcticum finem collocata, præstantibus corporibus, aut serius occidũt & ante exoriuntur, quam ea quæ Notio polo depinximus: sed ipsa quoque corpora inter se dissentiunt: vt si quod inferius sit signum, & id cum superiore exoriatur, tamen serius occidat. E contrario itaque si qua sunt signa ab Æquinoctiali circulo ad Notium polum figurata, horum si qua signa pariter exorta fuerint, citius occident quam ea quæ proxime Polum accedunt. Euenit etiam, vt non modo quæ simul sint exorta sidera, ex his serius occidant, quę proxime Arcticum circulum sunt collocata, sed etiam si qua eorum ante exorta fuerint, quæ sunt ad Notium polum finita, tamen ante occidant quam ea corpora, quæ in Boreo polo figurata esse supra demonstrauimus, ideo quod maiore circunductione sphæræ vtuntur ea corpora, quæ ab Æquinoctiali circulo ad Arcticum finem sunt constituta. Igitur ostendimus, qua inclinatione mundi sphæra sit constituta. Nunc ad duodecim signa reuertemur. & quorum exortu quæ de reliquis corporibus occidãt aut oriantur, commemorabimus, & initium ab Ariete faciemus.

16 ARIETIS exortu, sinistra pars Andromedę prouenire, Ara autem occidere videtur. Cum eodem sidere exoritur & Persei caput vsque ad vmbilicum, vt dubiũ fere videatur, zona eius vtrum vsque extremo Ariete, an Tauro primum exoriente prodeat ad lucem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tauro autẽ exorto quæ prius dubia fuerunt, omnia sunt certa. Nam & Ara omnino occidit, & Perseus totus est ortus, & Aurigæ caput cũ reli quo corpore duntaxat ad sinistrũ pedem videtur, & Pistrix a cauda exoriens perspicitur. Hoc signo primum occidere Bootes videtur: etsi cum quatuor signis occidit, neque tamen totus ad terram potest peruenire: nam manus eius sinistra circulo Arctico conclusa, neque oritur neque occidit.

Geminis exorientibus, tota iam Pistrix & fluminis Eridani prior pars apparet, & Orion exoriri videtur: occidit autem Ophiuchus a pedibus genuum fine.

Cancer exoriens obscurat dimidiam partem Coronæ Pistricisque caudam, & Notium piscem: & caput cum reliquo corpore ad vmbilicum eius qui Engonasin vocatur. Ophiuchum a genibus ad humeros, & Anguem totum præter caput & ceruicem, quæ ex Æstiuo circulo tendit ad coronam. Bootem prope totum terra tenet tectum. Exoritur autem & Orionis corpus ad zonam, & Eridanus totus apparet.

Exortu Leonis reliqua pars occidit Coronæ, cum capite & ceruicibus Anguis & Ophiucho: Engonasin autem qui vocatur, eius præter sinistrum genu & pedem nihil apparet, & Bootes totus obscuratur: exoritur autem caput Hydræ cum Lepore toto, & Procyon cum pedibus prioribus Canis & Aquila tota.

Virgo autem exoriens, non pauca sidera obscurat. nam statim Lyra occidit cum sagitta & Delphi-

Delphino, & Oloris a capite corpus ad caudam prope occidit, & Fluminis prior pars & Equi caput cũ ceruicibus: exoritur autẽ Hydra fine Crateris; & Canis totus & nauis Argo fine totiusveli.

Chelis exorientibus videtur & Bootes exoriẽs totus, & tota nauis apparet Argo Hydraque, præter cacumen extremum caudæ, quod est sub terra. Exoritur etiã genu & sura eius dextra qui Engonasin vocatur. Hunc eadem nocte occidere & exoriri licet videre: reliquum autem corpus, cum Scorpionis & Sagittarij prouenit parte. Præterea cum Chelis exoritur cauda Centauri, occidit reliquũ Pegasi corpus: & Oloris extrema cauda, & Andromedæ caput cũ vmbilico Pegasi: & Pistrix reliquo corpore ad ceruices, vt caput eius solum videatur: & caput Cephei pendẽs ad Pistricis occasum, cũ manibus & humeris peruenit ad terrã.

Scorpione exoriẽte duæ partes Fluminis occidunt. & reliquũ corpus Andromedæ cum capite Cephei. Occidit etiam Cepheus capite ad humeros, quæ pars est extra Arcticũ circulũ constituta: obscuratur etiã Cassiepeia resupina occidẽs: exoritur autẽ Corona, quæ ante Centauri pedes iacere existimatur: & Hydræ reliquũ quod caudã esse supra diximus. Prouenit etiã & corpus Centauri, quod equina figura videtur, & ipsius hominis caput, & hostia quã tenere eũ supra diximus: denique ad id corpus qua fine pedes eius sunt priores: Ophiuchi autẽ duntaxat caput exoritur, & ipsius Anguis caput quod est contra Cancrum.

Sagittariũ exorientẽ Ophiuchus totus exoriẽs insequitur, & Anguis qui ab eo tenetur, caput

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius qui Engonasin vocatur, & sinistra manu eiusdem: deinde Lyra tota cum Cephei capite & humeris exit ad lucem. Occidit autem Canis maior, cum Orione toto, & Lepore, & Aurigę superiore parte corporis: præterea caput & pedes eius: occidit etiam totus Perseus præter crus & pedem dextrum. Argo autem puppim solam relinquens, peruenit ad terram.

Capricornus exoriens, hæc sidera ad terram premere videtur, reliquam figuram nauis, & signum quod Procyon vocatur. Eodem tempore & reliquum corpus occidit Persei. Exoritur autē Olor cum Aquila, & Sagitta, & Ara, quam proximam esse Notio polo diximus.

Aquarius exoriens ad dimidiam partem corporis Equi pedes secum de terra ducit, & caput cum ceruice Pegasi. At contra Centaurus a cauda ad humeros virilis corporis occidit cum Hydræ capite & ceruicibus.

Piscibus exorientibus occidit reliquum Hydrę corpus, & ipse Centaurus: exoritur autem Piscis qui Notius vocatur, & Andromedæ dextra pars corporis.

SOL.

SIC igitur exorientibus duodecim signis, reliqua corpora occidere & exoriri videntur. Sed vt ante diximus, nunc protinus de solis cursu dicemus. Necesse est enim solem, aut ipsum per se moueri, aut cum mundo verti vno loco manentem. Quod si maneret, necesse erat eodem loco occidere & exoriri, a quo pridie fuerat exortus, quemadmodum signa eodem loco semper oriuntur & occidunt. Præterea si ita esset, necesse erat dies & noctes omnes æquales esse: vt quam longus hodiernus fuerit, tam longus semper sit futurus. Item nox simili ratione semper æqualis permaneat. Quod quoniam non est, illud quoque necesse est, cum videamus esse dies inæquales, & solem alio loco hodie occasurum, & alio heri occidisse. Si igitur aliis locis oritur & occidit, necesse est eum moueri, non stare. Solem

autem contra mundi motum currere, sic possumus intelligere: euenit enim, vt duabus ex causis sidera non possimus videre. Quarum vna est, cum abierint infra terram, nostrum quoque effugere conspectum, ita vt inferiori hemisphærio ostenditur. Altera autem est ratio, quod propter fulgorem Solis, & vim maximam luminis, sidera obscurentur: siue quod stellis obsistit, ne candor earũ ad nostros perueniat aspectus: siue sui magnitudine luminis officit oculis nostris, ne præter eius ignem aliam superiorem rẽ perspiciamus, quod magis verisimile videtur. Neque enim Solis ignẽ eiusmodi videmus, cuiusmodi reliquos ignes intelligimus: sed ita lumen auertit nostrum, vt ipse quoque nobis non igneus, sed albus videatur esse. Præterea in vnaquaque nocte vndecim signa necesse est apparere, ideo quod vno signo Sol ipse suo lumine obscurat: cum eo enim signo & occidere & exoriri videtur. Nonnulli dicunt nos duodecim signa duntaxat hac ratione perspicere posse: si in eius signi prima nouissimaq; parte cõsistat. Habent enim duodecim signa partes eiuscemodi, vt vnumquodque eorum in longitudine habeat partes triginta, in latitudine autem partes duodecim. Itaque euenit, vt in lõgitudine signorum annus sit, in latitudine autem singuli dies sint. In prima parte Signi nihilominus nos reliquum corpus eius Signi, videre posse nonnulli dicunt. Simili ratione, & si fuerit in extrma parte Signi, quod fieri non potest. Nam cum sol sit in qualiber parte Signi, & exoriatur, ita magnum videtur habere fulgorem, vt omnia sidera obscuret.

ret. Illud tamen potest euenire, vt cum Sol sit in prima parte Signi & occidat, reliquum corpus eius Signi appareat. Sed certius & verius est, vndecim Signa quá duodecim apparere posse. Præterea quæritur, quare Sol contra mundi inclinationem currẽs, videatur eũ ipsa sua sphæra occidere & verti. Nã si Sol contra siderum occasum curreret, de Ariete ad Pisces, nõ ad Taurũ trãsiret. Exoriri etenim Pisces prius quam Aries, & occidere perspiciuntur: & ita mundus verti videtur, vt prius Pisces quã Aries occidãt. Itaque diebus triginta Sol in Ariete currens, & eius corpus obscurans, sic duntaxat apparet Sol, vt ex eo loco quo Aries ante exoriri videatur: & post dies triginta, Sol videatur ab eodẽ loco surgere, ex quo loco Taurus ante exoriri videbatur. Igitur apparet solem ab Ariete ad Taurum transire. Quod si ita est, necesse est eum cõtra mundi inclinationẽ currere. Quare autem euenit, vt ante diximus, quod videtur cũ mundo Sol vertu: eius simili hæc est causa: Vt si quis in nauiculæ rostro sedens, inquirat ad puppim transire, & nihilominus ipsa nauis iter suum conficiat: ille quidem videbitur contra nauiculæ cursum ire, sed tamen eodẽ perueniet quo nauis. Hoc autẽ sic etiam facilius intelligetur, si nauim diuiseris in partes trecentas sexaginta, quẽadmodũ Sol diebus trecentis sexaginta simul mundũ trãsigit. Eodẽ modo, vt ante diximus, si nauis sit diuisa, & in vnã parte de trecẽtis sexaginta cõstituatur quilibet eorũ: nauis autẽ habet vnius diei cursũ, ille quidẽ cõtra nauim ire, sed cũ ea ad locũ destinatũ peruenire intelliget.

Non enim extra nauim est, quia rostro ad puppim transit, sed ipsa nauis continetur: item Sol cum per ipsum mundum iter conficiat, & eo cõtineatur, viderur contra mundum ire, sed cum eo peruenit ad occasum. Cum enim mundus trecenties & sexagies se conuerterit, tunc Sol iter annuum conficit.

LVNA.

QVONIAM de Sole quæ visa sunt nobis vtilissima esse, literis mandauimus, nunc de Luna dicemus. Etsi alta conari perscribere, velut natura voluminis ad hoc loci deuenimus, ne nonnullis incaute huius rationem relinquentes, aut propter magnum laborem defeciſſe, aut inscientia superati non valuisse persequi videamur. Nos autem non illorum existimationis timendæ causa persequi consuetudinis nostræ rationem demonstrasse instituimus, sed quod alterius quæri volumen

volumen hoc perlecto noluimus: nec tandiu rem cogitatam scripto aliorum ad desiderium adducere. Præterea cum reliqua omnia diligentissime persecuti fuerimus, alienum videtur esse, nos non eandem persequi causam. Quare, sicut ante diximus, ad inceptum reuertemur, & necessario totidem verbis de Luna ac Sole dicemus, ita: Lunam per alios exortus & occasus necesse est moueri, non stare: idque facilius, quam de Sole licet intelligere: neque enim tam magnus ardor eius est, vt officiat oculis nostris, neque vt Sol diestriginta vno quoque signo vehitur, vt difficile sit intellectu, quanta particula luminis aut ipsius signi supereſſe videatur, cum ad aliud trãsierit signum. Luna enim cum duodecim signa diebus triginta percurrat, licet intelligere, duobus diebus & sex horis Lunam in alio signo esse: haec autem, cum a Sole lumen accipiat, & ita nobis lucere videatur, non est verisimile de tam multis causis, potius eã constare quam moueri. Si enim suo lumine vteretur, illud quoque sequebatur, eam semper æqualem esse oportere, nec die tricesimo tam exilem aut omnino nullam videri, cum totum transegerit cursum, sola autem ad aliud transire signũ intelligatur: Præterea si suo lumine vteretur, huius nunquam eclipsin fieri oportebat. Sed ne dubium fiat, quare solis eclipsis fieri possit, qui vtrisque lumen dare supra sit dictus: Lunæ autẽ non facile fiat, cum alieno lumine vtatur: eius hæc verissima, vt arbitramur, est causa. Luna enim cum ex toto mundo & omnibus stellis maxime terræ proxima videatur, & ad acies nostras perueniat:

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quodam tempore torrens perueniat ad eundē locū signi, quo Sol vehitur, obscurare lumē eius a nostro conspectu videtur. Hoc autem maxime euenit die nouissimo, cum Luna trāsierit in duodecim signa, & cum Sol ad aliud signum transire videatur, & proxima fieri illi. Quod euenire sic etiam potest intelligi: Vt si quis alicui manum planam ad oculos admouerit, quāto magis sic fecerit, hoc minus ille videre poterit: & quanto longius ab eo discesserit, hoc magis illi omnia poterunt apparere. simili ratione, cum Luna ad Solis locum peruenit, tunc proxima eius videtur esse, & radios eius obturare, vt lumen eiicere non possit. Cum autem Luna ab eo loco discesserit, tunc Sol lumen eiicit, & ita ad nostra adiicit corpora.

Lunæ autem eclipsis sic euenit: Cum prope vna dimēsione sit Luna, cum abierit Sol sub terram, duntaxat hoc modo, vt per mediam terrā, si quid directum traieceris, cōtingere possit Solem sub terram, Lunam autem supra terrā. Quod cum ita euenit, necesse est Solis radios propter magnitudinem terræ ita esse dimissos, vt lumen eius quo Luna lucet, non possit ad eam peruenire: & ita existimatur fieri eclipsis Lunæ. Quæ si suo lumine vteretur, licebat ne apparere quidē nunquam Solem, ideo quod Luna nihilominus luceret. Sic nanque accipit lumen, vt luceat cum Sol venerit per terras, sed non vt aliquem locum conclusiorem totumque spacium impleat lumine. Si quis nostrum steterit in eo loco quo Sol maxime lucet, reliquis partibus lumen a Sole ac-

le accipiens præbebit: id in Luna fieri inuenitur, eam Solis lumine accepto, lucere reuibratione. Nonnulli existimant, cum dicitur Sol in Ariete aut in quolibet signo esse, cum supra ipsas stellas Arietis iter facere. Qui autem hac ratione vtuntur, longe a vera ratione errant. Nam neque Sol, neque Luna proxime sidera apparent. Hac etiam de causa nonnulli septem stellas erraticas finxerunt, adiungentes eodem Solem & Lunā, quod cum quinque stellis feruntur: Luna enim proxime terra est, itaque triginta diebus totum mundum existimatur transire. Id hac euenit ratione: si circulos quos intra Zodiaci ambitum fecerit, eosque hoc interuallo fixerit, vt terra sit in medio, & vnam a terra ad Lunam mensionem fecerit, quam Græci ὅρον appellauerunt. Hunc autem, quia certum spacium non potuerunt dicere, tonon dixerunt. Igitur abest Luna a terra, tono vno. Hac igitur re, quod breuissimo circulo deuehitur, diebus triginta ad primum peruenit circulum. Ab hoc circulo abest circulus semitonio: quo Mercurij sidus vehitur. Itaque diebus triginta ad alterū signū transiens tardius, ab hoc circulo abest tono dimidio: quo loco iter suū Veneris dirigit astrū, tardius quā Mercurij stella cōficiēs cursum. trāsit enim ad aliud signū diebus triginta. Supra huius stellam Solis est cursus, qui abest ab Hespero, quę est Veneris stella, medietate toni. Ita cum inferioribus pariter peruolās anno vno duodecim signa percurrit, tricesimo die ad aliud transiens signum. Supra solem igitur & ejus circulum, Martis est stella, quæ abest a Sole

Universidad de Deusto
Biblioteca

tono dimidio. Itaque dicitur diebus sexaginta ad aliud signum transire. Supra hunc orbem Iouis est stella, quæ abest a Martis, hemitonio. Itaque vno anno ad alterum transit signum. Nouissima stella Saturni, quæ maximo vehitur circulo: hæc autem tono diitat a Ioue. Itaque annis triginta duodecim percurrit signa. Ab ipsorum tamen siderum corporibus Saturnus abest tono vno & dimidio. Hac igitur ratione potes scire, neque Solem neque Lunam contingere stellas, & nihilominus per zodiacum circulum verti. Hinc etiam possumus intelligere, Lunam maiorem esse Sole. Omnia enim quæ proxima sunt nobis, maiora necesse est esse, quam quæ longo dissidente interuallo videmus. Igitur Lunam videmus proxime nos esse, neque eam maiorem nostro aspectui esse quam Solem. Illud quoque necesse est, cum Sol longe absit a Luna, & a nobis maior videtur, si prope accesserit, multo maiorem futurum. Præterea necesse est, vt ante diximus, aut nullam stellam erraticam esse, aut Solem pariter cum Luna vt reliquas stellas errare. Si enim quisquam mihi potest demonstrare quinque stellarum cursum, & dicere, quod hodie coram earum quæque ad aliud transeat signum, quemadmodum de Sole & Luna fieri videmus, & nihilominus suum efficit cursum, non est erratica. Si autem dubium est, quod hodie transeat, & ad aliud signum comparatione cum Luna se ferat, & suum circulum dirigat, quemadmodum stellæ quæ sunt dubiæ, necesse est has quoque errare: sed non euenit vt errent, præsertim cum suo tempore ad cursum reuertantur. Igitur ne stellæ quidem, cum certo tempore ad suum signum reuertantur, possunt errare, nisi forte volumus accipere excusationem, quod duo corpora magna facilius possint obseruari quam singulæ stellæ, quæ non certos cursus conficientes videntur apparere.

VENVS.

STELLAS quinque nonnulli has aiunt esse: Veneris, Mercurij, Iouis, Saturni, & Martis. Equibus esse maximam colore candido, nomine Hesperum, & eam appellari Venerem. Hæc stella nó abest a Sole longius duobus signis infra eius circulum collocata, sicut ante diximus: apparens maxime noctu, sed toto mense non plus indeficiens potest videri. sed totus Hesperus incertos efficit cursus, non eodem tempore ad præteritú transiens signum.

MERCVRIVS.

SECVNDA stella est Mercurii, nomine στίλβων, totus acuto lumine, sed in aspectu non magnus. hic autem a sole non longius abest signo vno, qui semper eosdem cursus efficiens, modo nocte prima, modo autem ad Solis exortus incipit apparere. nonnunquam etiam perpetuũ signis quatuor est cum sole: rediens autem, cum sole non amplius est, quam tertiam partem signi.

Iouis

IVPITER.

IOVIS autem stella, nomine φαέθων, corpore est magnus: figura autem similis Lyræ. hic autem duodecim signa annis totidem transire existimatur: & vnoquoque anno nusquam apparere dicitur, non minus dies triginta, non plus quadraginta: sed tum maxime obscuratur, cum occidit cum sole. Exoriens autem apparet ante quam sol.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SATVRNVS.

SOLIS stella nomine Φαίνων, corpore est magno, colore autem igneo: similis eius stellæ, quæ est in humero Orionis dextro. Hic per duodecim signa assiude ferri videtur: nonnunquam etiam cũ solis ipsius sideribus apparet, modo aliis partibus adiectis circuli. Hanc stellam nonnulli Saturni esse dixerunt. Redire autem ad signum annis triginta, & quotannis non apparere, non minus dies triginta, nec amplius quadraginta.

RELI-

MARS.

RELIQVVM est nobis de Martis stella dicere, quæ nomine πυρόεις appellatur. Hic autem non magno est corpore, sed figura similis est flammæ. Nonnunquam autem cum ipsius solis sideribus concurrens, omnia peruolat signa, sedens ad primum signum non longius biennio.

QVOD ad quinque stellas attinet, hucusque satis arbitramur dictum: nunc autem demonstrabimus, quibus de causis menses intercalentur, quoniam tempus omne metimur die & nocte, mense & anno. De quibus diem nobis diffinierunt, quãdiu sol ab exortu ad occasum perueniat: noctis autem spacium constituerunt esse, quandiu sol ab occasu rursum ad exortum reuertatur: mensem autem, quandiu Luna Zodiacum circu-

lum perducat: annum voluerunt esse cum sol ab Æstiuo circulo redit, & Zodiacum ad id signum vnde incipiebat, permetitur. : : : : :

CÆTERA DESIDERANTTR.

CAMERARII carmen, quo nomina omnium siderum cælestium complexus est.

NOMINA *disce puer veterum studiose laborum*
Sidera, & cæli cognosce micantia signa:
Signa vocant, quibus illa vides insignia templa,
Sed numerum denum quater atque octo esse dederũt.
Vrsæ summa tenent Aquilonis frigora, per quas
Ingens in morem fluvij perlabitur Anguis.
Hũc subit Arctophylax, sed & hũc mox gẽma Corona,
Inde Genu nixus, post quem Lyra, deinde Volucris.
Tum Cepheus & Cassiepe, tum Vector & ille
Falcatum extollens cæsa ensem Gorgone Persæus.
Hinc Deltoton & Andromede, hinc stas Pegase, sed te
Delphin excepit, hũc Telũ, hoc Aquila, Anguitenẽq.
Signifer hæc sequitur declivi circulus orbe,
In quo Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Chela, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
At Notius vndifero tenet hæc simulachra sub axe,
Armatum Orionа, Canem in quo Syrius ardet.
Quis Procyonque Lepusque & Iasonis additur Argo,
Hydrusque & Centaurus, & Ara incognita nobis.
Tum Notius pisces, Cetusque ac Eridanus vnda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca